

**De anginae membranaceae origine et antiquitate : dissertatio inauguralis ...
/ auctor Ernestus Fischer.**

Contributors

Fischer, Ernst.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Ferdinandi Nietack, 1830.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/kaqfd8rr>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

4
DE
ANGINAE MEMBRANACEAE
ORIGINE ET ANTIQUITATE.

~~~~~

DISSERTATIO INAUGURALIS  
QUAM  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS  
AUCTORITATE ET CONSENSU  
IN  
UNIVERSITATE LITTERARIA  
FRIDERICA GUILELMA  
PRO SUMMIS  
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS  
RITE IMPETRANDIS  
*DIE VIII. M. JULII A. MDCCCXXX.*  
H. L. Q. S.  
*PUBLICE DEFENDET*  
AUCTOR  
ERNESTUS FISCHER,  
MEGAPOLITANUS.

~~~~~

OPPONENTIBUS:
E. D'ALTON, MED. ET CHIR. DRE. ATQUE PRIV. DOC.
GUST. FERD. SCHWALBE, MED. ET CHIR. DRE.
AUG. ED. JAENEKE, MED. ET CHIR. DDO.

BEROLINI.
TYPIS FERDINANDI NIETACK.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

A M I C O

HENRICO PLITT

D R E S D E N S I

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI

O P U S C U L U M H O C

D I C A V I T

A M I C U S.

A M I C O

HENRICO PLATT

D I R E C T O R

MEDICINAE ET CHIRURGICAE DOCTOR

O P E R A

D I C T A

A M I C O

PRAEFATIO.

Magnum quoddam est onus atque munus, suscipere atque profiteri, se unum esse, omnibus silentibus, arduis de rebus magno in hominum conventu audiendum. Adest enim fere nemo, quin acutius atque acrius vitia in dicente quam recta videat. Quod ita de oratoribus disputavit M. Tullius, summis etiam scriptoribus gloriaque insignibus, quotiescunque novi aliquid in lucem proferunt, accidere solet; hanc enim absolutionem perfectionemque in illis desiderant lectores, a qua ipsi saepis-

sime longe absunt. Adolescentulos vero, homines quasi novos, facto scribendi initio, non fractos et debilitatos metu exstare opus est. Sunt enim, quibus in legendis istorum opusculis oleum et operam perdere libitum sit, per pauci, iique vel amicitiae, vel affinitatis, vel cujuscunque consortionis vinculo conjuncti. Sed quando igitur aliquid minus bene fecerunt, saepe piusque etiam in scribendo peccarunt tirones, partim peccata non animadvertuntur, partim a lectoribus, si qui futuri sunt, libenter illis ignoscuntur; sicuti aut lingua haesitantes, aut voce absoni, aut vultu motuque corporis vasti atque agrestes, si de quadam leviori momenti re apud homines familiarissimos illis dicendum est, reprehensionem et poenam aut nullam aut leviolem tantum perpetiuntur. Equidem idcirco, temporis angustis rerumque tractandarum asperitatibus quamvis graviter prementibus, supervacaneum omnino si non

inutilem, dum veniam a lectoris ob juvenilem hunc mediocriter et vitiose conscriptum libellum petam, a me suspici laborem nolo. Pauca tantum mihi praefari liceat, ut, qui lecturi sint, comperiant, quomodo haec commentatio originem ceperit, quomodo sit instituta, quasnam res et quonam ordine conscriptas amplectatur. — Cum in proximo semestri hiberno scholam illam medicam, ubi vir Exp. Wolff morbos cognoscere illisque mederi docet, frequentarem; puer quidam, angina membranacea correptus, curationi meae mandabatur. Capto consilio dissertationem inauguralem de morbo isto conscribendi, illique historiam aegroti mei annectendi, scriptores, qui in tractanda hac labe operam suam collocarunt, adii. Evolutis horum libris, viros omni numero absolutos tantum studii assiduitatisque in hunc morbum impendisse cognovi, ut non intitias iturus sim, me istas omnium commu-

nes et contritas doctrinas denuo repetendi fastidium cepisse maximum. De origine vero et antiquitate hujus morbi, qui, cum Hollandiae regem stirpe Napoleonem imperii heredes privasset, recentioribus temporibus tantam celebritatem est nactus, ut aevi nostri medicorum summi ad unum fere omnes de illo cognoscendo curandoque memoriae aliquid prodiderint, tot et tantae inter viros doctissimos versantur dissensiones, ut indagandi acriterque pervestigandi consilium ceperim, quid hujus morbi principia eruere, quid illa tenebris abdita in lucem proferre atque illustrare, quid denique valeat, tantas componere lites. — Ut vero habeant lectores filum quasi Ariadneum, quo duce per labyrinthi istius Maeandros uti queant, breviter et succincte proponam, inventa quonam ordine momentoque composuerim atque dispensaverim. Quaeenam argumenta vero id, quod nos intendimus, con-

firment, amplificent augeantque, quibusnam, quae pro adversariis sunt, refellantur atque infirmentur, in ipsa commentatione videbis.

1) Non ullum anginae membranaceae vestigium in scriptis medicorum antiquissimorum reperitur. — Omnes qui apud Hippocratem, ipsum Galenum aliosque laudantur loci, morbos plane alios designant.

2) Argumenta a nobis prolata sunt, quibus evincitur, anginam membranaceam eo tempore atque istis in terris, ubi veteres observabant medici, non fuisse obviam.

3) Angina membranacea, recentioribus temporibus quamvis multo frequentior facta, sparsim et sporadice rarissime epide-

mice nunquam plagas terrae meridionales nunc infestat.

4) Ballonius, in describenda constitutione hiemali anni 1576, primus morbi huius (ut dicit) ignoti atque epidemici mentionem facit perobscuram.

5) In annotatione ad locum Ballonii modo dictum memoriae est proditum, chirurgum quendam secuisse corpus pueri ista difficili spiratione subita morte extincti, et membranam quandam asperae arteriae obtentam invenisse. Ille igitur chirurgus ignotus primus anginae membranaceae observator accuratissimus!

6) Scriptorum, neque qui paulo ante Ballonium, uti Forestus, Coyttarus, Pas-

quier etc., neque qui paulo post, e. c. Rhodius, Bontius, Horstius alique, anginam membranaceam adumbrasse dicuntur, ut doctissimis quibusdam placuit, non ullus morbum nostrum commemorat.

- 7) Nuncupavi autem scriptores, qui veram et legitimam morbi nostri descriptionem usque ad Michaelium in lucem ediderunt, nec non, quot quantaque fuerint hujus merita de angina polyposa, exposui.
- 8) Causas anginae membranaceae ab altero saeculi praeterlapsi dimidio multo frequentius obviae explicare conatus, quomodo epidemica e septentrione magis magisque in meridiem migraverit, demonstrare studui.

9) Pluribus denique in locis ex anginae gangraenosae origine et antiquitate aliquid adpersi, quae, cum in plane contrarias abeant partes, morbi nostri notitiam aperiunt atque mirifice augent.

DE
ANGINAE MEMBRANACEAE
ORIGINE ET ANTIQUITATE.

Opinionum commenta delet dies.
Cicero.

§. 1.

Morborum fere omnium primordia tum abditis ita atque retrusis e fontibus haurienda, tum ab ipsa natura tenebris quasi offusa et ita recondita sunt, ut de compluribus, qui dilucide a quopiam non describebantur ante recentioris temporis scriptores, disceptatum acriter sit, utrum Hippocrati, Galeno ceterisque antiquissimis medicinae processibus ignoti fuerint, affirmantibus aliis, aliis negantibus. Scriptorum nonnulli, nimio antiquitatis amore studioque detenti, cujuslibet morbi originem ex illius, cui ejusmodi gloriola profecto non est opus, derivare student monumentis. Morbi vero praesertim contagiosi et epidemice grassantes cum corporibus organicis haud dissimiles exoriantur, crescant, vigeant, decrescant, nec non denique

sudoris Anglici aliorumque instar penitus exstinguantur; minime necesse est, ut jam priscis temporibus omnes invaluerint, inque gentes humanas redundaverint; sed de permultis verisimillimum videtur, multo serius exortos, imo aequales nostrorum temporum, idcirco a recentioribus scriptoribus primum adumbratos, memoriaeque proditos esse. Eadem nunc disceptationes de anginae membranaceae origine habebantur, eadem de illius antiquitate duplex sententia defensoribus non carebat. Dum enim Curtius Sprengel ¹⁾ et, qui illum sequuntur, Nicolai ²⁾, Ideler ³⁾ nec minus Berends ⁴⁾ hujus universitatis gloria quondam et decus insigni, prima hujus morbi vestigia reperire non potuerunt, quae ultra mediam saeculi decimi septimi partem ascenderent; Crawford ⁵⁾ jam non obscura morbi nostri vestigia (infausta tamen, ut dicit Michaelis, Minerva) apud Hippocratem, Caesariumque Aurelianum invenire studuit. Post Allersium ⁶⁾ longe plurimi iique percelebres scriptores ut Sachse ⁷⁾, Goelis ⁸⁾, aliique ut Zickner ⁹⁾, Weber ¹⁰⁾ Homii opinionem augebant et amplificabant, locis ex scriptis Hippocratis, Galeni aliorumque laudatis, qui illis affirmare videbantur morbum nostrum jam antiquitus obvium fuisse. Michaëlis, optimus fortasse hujus morbi interpretas in ipso libri sui exordio ¹¹⁾: „Primam, inquit morbi notitiam apud Tulpium inveniri arbitror. Narrat enim ille medicarum observationum Liber V, casum, qui verum nostri morbi exemplum esse mihi videtur.” Alibi ¹²⁾ vero dicit, dubium videri

posse, an pro novo ac recentioribus tantum temporibus orto, vel antiquo jam, diu autem ignoto et neglecto morbo habenda sit angina membranacea; fatetur tamen, alteram sibi magis arridere opinionem, cum non difficile foret conceptu, quomodo iste morbus tam diu latere potuerit. — Quibus, ut omittamus alias, praemissis opinionibus, nosmet ipsi ad originem et antiquitatem morbi nostri accuratius indagandam atque perscrutandam aggrediamur, et ab antiquissimis exordiamur medicinae heroibus. —

- 1) *C. Sprengel*, Versuch einer pragmatischen Geschichte der Arzneykunde. Halle, 1803. T. V. pag. 442.
- 2) *Nicolai*, Diss. de angina polyposa. Halae, 1817. pag. 5.
- 3) *Ideler*, Diss. de angina membranacea. Berolini, 1823. pag. 12.
- 4) *Car. Aug. Guil. Berends*, Operum postumor. T. II. Edid. et praefat. est A. G. a Stosch. Berol. 1830. pag. 456.

Innotuerunt *serioribus saeculis* duae pessimae anhelitus in pueris formae: altera inflammatoria sive *angina membranacea*, altera spasmodica, sive *asthma Millari*.

- 5) *Crawford*, Diss. de angina stridula. Edinb. 1771.
- 6) *Home*, an inquiry into the nature, cause and cure of the croup. Edinb. 1765. übers. von Mohr, mit Vorrede und Anmerkungen von *Albers*. Bremen, 1809. pag. 5.
- 7) *Sachse, Wilh.*, Das Wissenswürdigste über die häufige Bräune. Lübeck, 1810. Tom I. pag 234.

Dafs diese Krankheit den ältesten Aerzten bekannt gewesen, glaubte schon Home, *auch mir scheint es keinem Zweifel unterworfen.*

- 8) *Goelis, Leop. Ant.*, Tractatus de rite cognoscenda et sananda angina membranacea. Viennae. p. 43.

Ex antiquorum scriptis, ex Hippocrate et Galieno haud spernendae hauriuntur notae, quae anginam membranaceam sporadice exstitisse tunc confirmant. — Vid. etiam pag. 157.

- 9) *Zickner*, Diss. de angina membranacea. Berolini pag. 4. et 5.

- 10) *Weber*, Diss. de angina membranacea et de asthma Millari. Berol. 1826. pag. 1 et 2.

- 11) *Chr. Frideric. Michaelis*, de angina polyposa sive membranacea. Gottingae, 1778. pag. 5.

- 12) loc. laudat. pag. 70 et 71.

§. 2.

Pauca omnino non apud Hippocratem invenimus, quae ad anginam morbosque illi affines respiciant. In aphorismis pluribus quidem locis ¹⁾ de anginarum causis et periculo verba facit, nulli modo autem variis ejus speciebus in magno positus discrimine, praesertim inflammationem viarum deglutitionis observasse videtur. Locus, in quo paulo clarius, si ullibi unquam, de angina tracheali loqui videtur, est in sectionis quintae aphorismo decimo, ubi ait: Ὁκόσοισι κυνάγχην διαφρυγούσιν εἰς τὸν πλεύμονα τρέπεται, ἐν ἑπτὰ ἡμέρησιν ἀποθνήσκουσι. ἢν δὲ ταυτέας διαφύγωσιν, ἔμψυοι γίνονται ²⁾. Similem certe locum in Coacis praenotificationibus ³⁾ ad nostram anginam membranaceam quae

drare arbitratur Sachse ⁴). Equidem vero censeo, aliam plane explicandi rationem ineundam esse, cum alibi ⁵) ita disserit scriptor Coacus: ἤν δὲ τῆς φάρυγγος καθεστηκυῖης καὶ τῶν οἰδημάτων στραφῇ εἰς τὸν πλεύμονα ἢ νοῦσος, πυρετὸς εὐθύς επανέλαβε καὶ ὁδύνη τοῦ πλευροῦ, καὶ ὥς ἐπιτοπολὺ ἀπέθανε, ἐπὰν τοῦτο γενῆται. ἤν δὲ ὑπερφύγη ἡμέρας πέντε, ἔμπυος γίνεται, ἤν μὴ μιν βῆξ ἐπιλάβῃ αὐτίκα, ἤν δὲ ὑπολάβῃ ὑποχρεμψάμενος καὶ ἀποκαθαρθεῖς, ὑγιὴς γίνεται ⁶). Ex quibus plane liquere arbitror, non modo non anginam trachealem, sed potius faucium pharyngisque inflammationem satis perspicue et distincte hoc loco propositam descriptamque esse. Non quidem ignoro, Hippocratem cum antiquitate ad Galenum usque differentiam inter pharyngem et laryngem non satis stricte constituisse; si tamen illud de tumoribus in hac angina obviis dictum recte perpendatur, continuo apparet, nullum vix ac ne vix quidem a nostra opinione dissentire posse. Contra vero duo alii in scriptis Hippocraticis inveniuntur loci iique rursus persimiles, qui, cum de anginae genere exitiali funestissimoque, tumore neque in faucibus neque in collo conspicuo, gravissimis vero doloribus, vehementi suffocatione spirandique difficultate stipato referant, laryngis atque tracheae inflammationem sine exsudatione (Tracheitidem siccam, muscularem ⁷) bene ab Hippocrate et cognitam esse et traditam comprobant. Quorum alter in Praenotionum libro legitur: Αἱ δὲ κυνάρχαι δεινόταται μὲν εἰσι καὶ τάχιστα ἀναιροῦσιν, ὁκόσαι μήτε ἐν τῇ φάρυγγι μηδὲν ἐκδηλὸν ποιέουσι, μήτε ἐν τῷ αὐχένι. πλε-

στον δὲ πόνον παρέχουσι καὶ ὀρθόπνοϊαν . αὗται γὰρ καὶ αὐθιμέρον ἀποπνίγουσι καὶ δευτεραίαι καὶ τριταῖαι καὶ τεταρταῖαι ⁸). Alter vero est locus in Coacis Praenotionibus, ubi: Τὰ κυναγχικά, inquit, τὰ μήτε ἐν τῇ τραχήλῳ μήτε ἐν τῇ φάρυγγι μηδὲν εὐδήλον ποιέοντα, πνιγμὸν δὲ νεανικὸν καὶ δύσπνοϊαν παρέχοντα αὐθιμέρον καὶ τριταίους κτείνει ⁹). — Tandem sibi excogitavi Goelis ¹⁰), praesto esse in Coacis praenotionibus locum, quo excretio membranacearum concretionum denotetur: τὰ ἐκ κυνάγχης πτύαλα γλίσχρα, ποσάχέα, ἐκλευκα, βιαίως ἀναγόμενα, κακὸν . καὶ πᾶς ὁ τοιοῦτος πεπασμὸς, κακόν. ¹¹). Quibus verbis ex nostra sententia nihil aliud significatur, quam muci spissae viscidique ejectio, quo in angina faucium palatum molle, tonsillae partesque omnes inflammatae obducuntur. Tum etiam Hippocrati erat opinio optimam angina correptis exstare crisin, si celeriter cocta expuerent, propterea quod morbus, cum valde praeceps esset, aut aegrum celeriter opprimeret aut suppuratum faceret. Scriptum enim reliquit: ἐν τοῖσι κυναγχικοῖσιν οἱ μὴ ταχὺ ἀναπτύσσοντες πέποντα, ὀλέθριοι ¹²). Similem quoque locum legimus, ubi de angina disserens, salivas hasce viscidas fauces implentes commemorat Hippocrates, in libro *de morbis* secundo: ἡ δὲ φάρυγξ ἔσωθεν σιάλην γλίσχρου ἔμπλεως, καὶ οὐ δύναται ἐκχρέμασθαι, καὶ οὐδέ ἀνέχεται κεῖσθαι, ἀλλ' ἣν κατακέηται, πνίγεται ¹³). In iis, quae aut a nobis dicta sunt, aut ex scriptis Hippocraticis comperta habentur, expeditissimum erit cuicunque dispicere, quantum toto coelo consentiant inter se salivae illae crassae viscidaeque

atque membranae tubuliformes in angina nostra laryngi tracheaeque inhaerentes. —

- 1) *Hippocratis Aphorismi*. Berolin. 1822. Sumtib. Theod. Enslin. III, 16. 20. 22. — Sermo est de anni temporibus, quae anginam gignunt. — V, 10. VI, 37. VII, 48. De prognosi in angina. —
- 2) Quibus ex angina liberatis, ad pulmonem malum vertitur, ii intra dies septem intereunt; si tamen hos dies evaserint, suppurati fiunt.
- 3) Κωακαὶ προγνώσεις. — Vid. *Hippocratis Opera* omnia ex editione *Foesii*. Genev. 1657. pag. 175. §. 367. et: *Medicorum Graecorum Opera* quae exstant, edition. curavit *Car. Gottl. Kühn*. Vol. XI. *Hippocratis Coi* Tom. I. Lipsiae 1825. I. p. 291.:
 Ὅῃς δὲ κυνάγχῃ ἐς τὸν πνεύμονα τρέπεται οἱ μὲν ἐν τῇσιν ἑπτὰ ἡμέρησιν ἀπόλλυνται, οἱ δὲ διαφυγόντες, ἔμψυοι γίνονται, μὴ γινομένης αὐτοῖς ἀναγωγῆς φλέγματώδεος.
- 4) *Sachse*, loc. jam laudat. I. p. 234.
- 5) De morbis lib. II. ex edition. *Foesii* pag. 470. edit. *Kühnii*. II. pag. 239.
- 6) *Kühnius* ita hunc locum interpretatur: At si faucibus et tumoribus sedatis morbus ad pulmonem versus fuerit, confestim febris et lateris dolor insuper corripit, et ubi hoc contingit, plerumque moritur. Quod si dies quinque effugerit, purulentus evadit, nisi ipsum confestim tussis corripuerit, excreato et repurgato sputo convalescit.
- 7) Admonitos hoc loco velim lectores, si qui fortasse morbi nostri non satis gnari futuri sint, ne sibi persuadeant quorundam scriptorum auctoritate adducti, tracheitidam siccam, muscularem s. Anginam trachealem inflammatoriam et anginam

membranaceam vulgo Croup nominatam tanquam morbum unum eundemque considerandas esse. Ita inter se differunt, ut jam Michaelis l. l. pag. 228. non perperam diceret: „Longus in hujus rei expositione esse nolo; difficilem hic errorem credo.” Egregie, quibus signis uterque morbus internoscatur, exponit *Sachse*: l. l. I. pag. 131., et nuperime in libro, qui est inscriptus: *Encyclopädisches Wörterbuch der medicin. Wissenschaften*, herausgegeben von den Professoren der medicinischen Facultät zu Berlin etc. 1828. Tom. II. pag. 476. Art. Angina. — Minus apte, ni fallor, *Goelis* l. c. pag. 54 et 55. de utriusque morbi differentiis verba facit.

- 8) *Προγνωστικόν*, edit. Foes. pag. 45. edit Kühnii I. 114.: Angina gravissima quidem est et celerrime interimit, quae neque in faucibus neque in cer-vice (i. e. collo) quicquam conspicuum facit, *plurimum vero dolorem* exhibet et difficultatem spirandi, quae erecta cer vice obitur, inducit. — Cf. etiam *Galen* de locis affect. lib. 4, et de dyspnoea Lib. 3.
- 9) Coac. Praenotion., edit. Foes. p. 175. §. 363., edit Kühnii. I. pag. 290.
- 10) *Goelis*, l. l. pag. 157.
- 11) Coac. Praenotion. edit. Foes. pag. 176. §. 377. edit Kühnii. I. pag. 293. Sputa ex angina viscida, crassa, exalbida, vi educta malum denuntiant omnisque ejusmodi maturatio mala est. — Foesius huic loco addit: Hujusmodi sputa crassa et viscida caloris praeter naturam immoderationem arguunt, ideoque improbantur.
- 12) Ibid. edit. Foes. pag. 176. §. 371. edit. Kühnii. I. pag. 292.: Angina laborantes nisi celeriter coctae exspuant, perniciose habent.

- 13) De morbis Lib. II. edit. Foes. pag. 469. edit. Kühn. II. pag. 238. Fauces interiores saliva viscida implentur, neque excreare potest neque decubitus sustinet, sed si decumbat suffocatur.

§. 3.

Quibus locis omnibus rite perpensis in apri-
cum, ut nobis quidem videtur, prodit, multifariam
de angina organorum deglutitionis ¹⁾ verba Hip-
pocratem facere, et vix dubitandum esse, quin
ista affectio anginosa, peculiari vero nomine in
omnibus Hippocrateis scriptis nondum insignita,
quam sine ullo signo conspicuo solo spiritu or-
thopnoico celerrime enecare memoriae prodit, illi
anginae speciei, quae a nostratibus laryngitis et
tracheitis muscularis nuncupatur, consentanea
existimari queat. Nostram vero anginam mem-
branaceam huc referri posse, omnino denegandum
esse censeo. Hippocrates enim, ille naturae scru-
tator perspicacissimus, ille in morbis indagandis
describendisque tam eximius atque distinctus
auctor, morbi adeo conspicui historiam verbis
sane clarioribus memoriae traditurus fuisset.
Nusquam enim memoratum invenimus, hanc an-
ginae speciem solummodo fere in aetate infantili
atque puerili obvium fieri, quod mirum profecto
videtur esse, cum mentione facta ²⁾ morborum,
qui τοῖσι μὲν μικροῖσι καὶ νεογνοῖσι παιδιόισιν, tum
πρὸς δὲ τὸ ὀδοντοφυεῖν προσάγουσιν accidere solent,
πρεσβυτέροισι, inquit, δὲ γενομένοισι παρίσθημα ³⁾. Nus-
quam de membranis istis polyposis, quarum ex-

cretiones certissimum et a medicis plerisque observatum praebent signum, nusquam de peculiari ista in respirando vocis stridore et clangore ⁴⁾), qui, uti Bloomius ⁵⁾ dicit, in aliis pectoris affectionibus audire solitis ne comparari quidem possunt, et teste Michaelio ⁶⁾ ipsam juniorum gallinarum vocem pipientem referunt, nusquam de tussi asper- rima, assidua et consueti soni experte ⁷⁾), secundum Albersium ⁸⁾ in hocce morbo nunquam et secundum Sachsium ⁹⁾ rarissime deficiente, de his, inquam, aliisque anginae membranaceae signis in Libris Hippocratis tam veris quam spuris nullae possunt reperiri vestigia certa. Tantum vero abest, ut ex manca atque nimis levi perscrutatione atque descriptione hoc repetam, ut potius anginam membranaceam prisco illo aevō et certe in ista orbis terrarum parte nondum exortam esse censeam.

1) Cf. de faucibus suppuratis (φάρυγξ ἑλκουμένη) Praenotion lib. pag. 45 et Coac. Praenotion pag. 1633. §. 276. edit. Foes.

2) Aphorism. III. 24 et 25.

3) Ibid. 26. παρίσθμια, circa isthmum; secundum Galenum pars ea appellatur isthmus, quae os et gula interiacet; παρίσθμια igitur in nostro aphorismo sunt *tonsillarum inflammationes*, ita tamen, ut quae egregia est Hollerii observatio, haec inflammatio non solum de tonsillis verum etiam de partibus tonsillarum vicinis, in paristhmiis collocatis intelligi debeat, vid. *Berends* 1. I. pag. 453.

4) Quemadmodum Hippocrates jam in aegrotis variis propriosque vocis sonos dignoverit, patebit luculenter Galenum inspicientibus. In Lib. VII. cap. 7. de

usu partium corporis humani, (Tom. III. pag. 535. edit. Kühn): ἐν μὲν γε τοῖς, inquit, περικαέσιν ἅπασιν πυρετοῖς, ἰσχυρῶς ἀναξήραιοις τῶν κατὰ τὴν φάρυγγα καὶ τὴν ἀρτηρίαν, τὰς ὑπὸ Ἰπποράτους ονομαζομένας φωνὰς κλαγγώδεις γίνεσθαι συμβαίνει. οὕτω δὲ καὶ τοῖς ζώοις τοὺς χόνδρους ὥσπερ καὶ αἱ γέραναι. καὶ γὰρ περὶ τούτων διὰ τοῦδ' Ὅμηρος ἔγραψε.

Κλαγγῇ ταί γε πέτονται ἐπ' ὠκεανοῖο ῥοάων.

- 5) *Bloom*, in: *Beraettelser till Riksens Staender for ar 1769*. apud *Michael*. I. I. pag. 265.
- 6) *Michaelis* I. I. pag. 11.
- 7) *Martin Ghisi* apud *Burserium* in: *Institution, med. practic.* Vol. III. pag. 345. ex edit. *Heckeri*, Lips. 1826.
- 8) *Albersii* annotation, ad *Homium* pag. 33.
- 9) *Sachse*, I. c. pag. 56. T. I. Der gänzliche Mangel des Hustens gehört nach meinen Beobachtungen zu den Ausnahmen von der Regel.

§. 4.

Nam Hippocrates, cum in insula Co (nunc Stingo) natus esset, uti apud Platonem in Protagora legimus ¹⁾, in Thasum insulam profectus, aliquot annos ibi medicinam fecit ²⁾. Tum magnam vitae partem in itineribus versatus, rerum medicarum usum et experientiam auxit Abderis, Larissae, Cyzici aliisque Thessaliae urbibus ³⁾, cumque magnam Asiae partem imprimis Asiae minoris provincias, Pontum, Colchidem peragrasset ⁴⁾, Libyam, Delum ⁵⁾ aliasque terras insulasque visitavit, patriamque repetiit. Quae omnes vero orbis

terrarum plagae, quamvis mari vicinae ^{5a}), sereno semper coelo aërisque temperie calida adeoque fervida gaudere solent, neque paludibus, neque pluviis, neque nebularum abundantia, neque frigore nivibusque horridae atque asperae, procreando huic morbo favere nequeunt. Quantum vero ab his istarum regionum, quae morbum nostrum gignere solent, abhorret indoles! Epidemice morbus noster grassari olim videbatur in maritimis Scotiae oris ⁶) planitieque humidissima, *Carse of Gowrie* dicta, juxta flumen Tayium, ubi serius exsiccatis paludibus, Crawfordio teste ⁷), rarissime occurrebat. In nonnullis Sueciae regionibus familiaris et endemius quasi observari solet ⁸); rarius jam in Dania, Hollandia, Germania, Galliaque septentrionali grassabatur. Epidemia, quae in Gallia latissime ad meridiem vergebat, fuit, nisi fallor, quae anno 1747, teste Arnaultio de Nobleville ⁹), in urbe agroque Aureliensi mense Aprili terrendo modo saeviit, aegrosque, praecipue infantes, intra quatuor et viginti horarum spatium e medio sustulit. Idem scriptor vero enarrat, epidemiam illam exortam esse: „Post tempestatem vehementer inconstantem atque potissimum humidam et deinde admodum frigide factam.” Memoriae dignum est, quod eodem anno Martinus Ghisius ¹⁰) exitiosissimi hujus morbi epidemice in urbe Cremona grassati observator et (si fides Burserio ¹¹) habenda) [in Italia fortasse solus fuit. Quam raro autem hic morbus ipsos Italiae septentrionalis incolas infestet, Burserius testatur,

dum, ut mihi quidem videtur, propriae experientiae expers, ita disserit ¹²⁾: „Sequar Cl. Chr. Frid. Michaelium, qui hujusce morbi historiam prae omnibus accuratissime conscripsit.” etc. Quamvis non omnino denegarem, morbum nostrum sporadice et sparsim apud Italos, qui regiones magis ad meridiem sitas incolunt, occurrere; nullus tamen medicus, quantum ego compertum habeo, de Angina membranacea in Italia inferiori Siciliaque obvia, nullus de morbo isto in Hispania Lusitaniaque, nullus in Graecia ejusque insulis, nullus in Asia minori atque Africa septentrionali ullibi unquam mentionem fecit. Eadem quoque in Americae terris observanda se praebent. Medici in America septentrionali degentes morbum nostrum haud raro observatum descripserunt; nullum vero hucusque invenire poteram, qui illum in terris Americae australis rimatus sit. Scio equidem, a Cullenio ¹³⁾ labem illam, quam Hillary ¹⁴⁾ sub nomine catarrhi suffocativi Barbadosensis descripsit, anginae membranaceae annumeratam esse; recte tamen jam Michaelis ¹⁵⁾ animadvertit, permulta esse, in quibus mali istius ingenium a morbi nostri natura differat. —

1) *Plato* in *Protagora*. Vol. III. pag. 88. — *Opera* edit. Bipont. — vid. etiam *Platon*, *Phaedrum*, pag. 371. Vol. X. edit. laud.

2) *Hippocratis ἐπιδημιῶν* Lib. I. et III.

3) *Ibidem*.

4) *Hippocrates de aëre, aquis et locis* §. 31. seq. p. 345. seq. Tom. I. edit. Kühnii.

- 5) Hippocrat. Prognosticon §. 6. pag. 471. Tom. I. ejusd. edition.
- 6) Cf. *Sachse*, l. l. pag. 187. Die Nähe des Meeres scheint nicht so sehr zur Erzeugung des Croups zu disponiren, als mehr stehende Wasser: pag. 185. eandem comprobatur experientiam patriae medicorum Nestor, ille pie venerandus *Sam. Theoph. Vogel*.
- 7) It appears much less in Edinburgh than in Leith or Musselburg, is often seen along the Coast off Fife, and is very common, I am told, along the coast of Arshire and Galloway — *Home*.
- 8) *Michaelis*, l. c. pag. 173.
- 9) *Dalberg*, Tal om Soenska Climate 1777. pag. 27. et: *Murray* med. Bibliothek, 3 Bd. p. 41, 42.
- 10) Histoire de l'academie royale des Scienc. an. 1748. à Paris 1752. pag. 523 et 25. — Commentar. Lipsiens. Vol. II. pag. 618. — *Sachse* l. c. p. 240. dicit: Mich dünkt, daß in dieser Beschreibung der Croup gar nicht zu verkennen sey.
- 11) *Martini Ghisi* Lett. mediche. lett. 2. Cremona 1749.
- 12) *Burserius de Kanilfeld*. Vol. III. pag. 353.
- 13) Id. eod. loc. pag. 350.
- 14) *Cullen* Anfangsgründe der pract. Arzneiwissenschaft. Leipz. 1789. 4te Ausgabe. p. 372.
- 15) Vid. Observations on the changes of the air and the concomitant epidemical Diseases in the Islands of Barbados by *William Hillary*. Lond. 1759. p. 134.
- 16) *Michaelis* l. c. pag. 142 et 143.: Me in tota ista enarratione nil deprehendere, unde mihi vel suspicio anginae membranaceae oriatur, ingenue fateor. Nullibi ullum concretionis polyposae vestigium, nec ulla vocis mutatio. Omnia autem po-

tius cynanchem trachealem indicare videntur. —
Cf. etiam *Sachse* l. c. pag. 242 — 43.

§. 5.

Quodsi vero nunc omnibus istis argumentis evolutis riteque consideratis, quae nos de ipsa re proposita paulo longius deflexerunt ¹⁾, revertamur ad divum illum scriptorem Coacum; vix ac ne vix quidem ullus adhuc dubitare posse videbitur, quin cum scriptis Hippocratis consentiant, atque naturae consona et ab ipsius sinu petita appareant, quae sequuntur: Primum nullus in scriptis Hippocrateis invenitur locus, quem jure meritoque aliquis ita interpretari possit, ut anginam membranaceam priscis illis medicis cognitam, atque ne obscure quidem descriptam esse comprobet. Tum omnibus in terris, ubi morborum interpretes et moderatores fuit Hippocrates, nostrum omnino non obvium fuisse, jure licet contendere summo. Denique ne recentioribus quidem temporibus, ubi angina membranacea, optimis scriptoribus testibus ²⁾, longe frequentior, e terris septentrionalibus propagata, epidemice Galliae regiones meridionales ipsamque Italiam superiorem infestabat, in medium allata sunt clinicorum observata, quae nunc istic anginam nostram grassari comprobant. —

1) Non temere nec inconsulto jam jamque istarum rerum feci mentionem plenioribus verbis. Non modo utile sed necessarium duxi, antequam ad reliqua antiquorum scripta evolvenda descenderem, aliquanto fusius hac de re disputare; sic enim legentibus nulla occasio, qua desideretur,

supererit, mihi vero nulla causa, cur deinceps hac super re molestissimis repetitionibus tempus contereere debeam.

- 2) Multorum recentiorum, qui usu experientiaque propria docti hoc comprobant, paucos tantum laudare satis superque erit:

Michaelis l. l. pag. 67.: In Germania, inquit, praecipue *novissimis* temporibus observatus fuit (morb. scil. noster).

Goelis l. c. pag. 76.: In terras quoque, quibus vix nomen anginae membranaceae seu sporadice solum innotuit, epidemica forma propagatur, in cujus fidem Viennasit testis. Id. pag. 45.: Ex auctorum observationibus manifeste constat, anginam membranaceam a dimidio saeculo elapso *frequentius apparere*. Ex experientia quoque nos docet, anginam membranaceam a septentrione in regiones, quibus hujus morbi nomen vix erat notum, propagari quin immo epidemice grassari. Tubinga, teste Autenriethio, ante annum 1807 hunc morbum non novit, et Vindobonae hieme elapsa — — magis innotuit.

Prae omnibus autem vid. experientissimum *Sachsium* l. c. I. pag. 246. seqq. Nicht blofs die gröfsere Zahl der Schriften, die sich auch auf die genauere Kunde des Uebels beziehen konnte, beweiset die *jetzige häufigere Frequenz* im Norden, auch die Stimme der ältesten Aerzte spricht dafür. Cf. imprimis, quae huc spectant, observationes *Lentini* patris, per quinquaginta annos medici munere in regno Hannoverano fungentis, ejusque filii.

L. Odier Handbuch der pract. Arzneiwissenschaft aus d. Französisch. v. *C. Stempel*. Stendal 1827 pag. 35.: Diese Krankheit war *ehemals ungleich seltener als jetzt*. Tum scriptor ille ex longaeva atque incredibili praxi, quae, quanta recentioribus

temporibus Genevae acceperit incrementa angina membranacea, comprobant exempla, enarrat.

§. 6.

Quae cum ita sint, ad pervolutandos medicorum senioris aevi libros transeamus, ut intelligi atque rite cognosci queat, utrum his angina membranacea nota fuerit nec ne. Cum vero de scriptis Dioclis Carystii, Praxagorae et Chrysippi, tum Herophili et Erasistrati aliorumque demum, qui inde ab Hippocrate usque ad Celsum artem exercitabant salutarem, nihil fere aliud ad nostram aetatem pervenerit, quam quae A. Corn. Celsus excerpta in suis de re medica libris octo memoriae mandavit: illis evolutis ¹⁾ solummodo apud Graecos anginam, prout species sit, modo *συνάγχην*, modo *κυνάγχην*, modo *παρασυνάγχην* appellari, et quae sunt ejusmodi, reperimus, nostri vero anginae generis nulla mentione facta. — Aretaeus Cappadox ²⁾ anginae praeclare adumbratae duas discernit species, ita disserens ³⁾: δύο δὲ τὰ εἶδεα. ἡ γὰρ τῶν οργάνων τῶν τῆς ἀναπνοῆς ἐστὶ φλεγμονή, ἡμοῦνον τοῦ πνεύματος πάθος, ἐφ' ὧν τεύου τὴν αἰτίαν ἰσχυόντος. ὁργάνων δὲ παρισθμίων, ἐπιγλωσσίδος, φαρυγγέδρου, κίονος, ἀκρῆς ἀρτηρίης; tum alterum malum Synanchem Graece (Anginam latine) nominari docet, alteri autem generi, cynanche i. e. caninae anginae, contraria evenire, ἐξυμπτωσις τῶν οργάνων, καὶ ἰσχυρότης ἐπὶ μᾶλλον τῆς ἐκάστου φύσιος, καὶ πνιξ καρτεροί. Sane optima descriptio hujus auctoris postea legi potest; eique anginam laryngis tracheaeque mere

inflammatoriam cognitam fuisse, extra omnem dubitationem poni debet ⁴). Nullo vero loco scriptor iste egregius de nostrae anginae specie quidquam in medium profert. — Antequam vero ultra provehamur, non ineptum videtur admonere, istam anginam, cui serius gangraenosae nomen inditum est, ab Aretaeo jam eximie delineatam esse. De tonsillarum ulceribus agens ⁵) ita loquitur: Ulcera in tonsillis esse partim communia, benigna (ἐὺνήδεα καὶ ἐὺήδεα) non laedentia, partim aliena (ξένεα καὶ ἐνέεα) pestifera, necantia (λοιμώδεα καὶ κτείνοντα), tum dicit de discrimine, quod inter aphthas atque escharas ⁶) intercedat, atque ita pergit: hoc malum correptos haud ita multis diebus post phlegmones febribus, foetore consumptos interire, at si in pectus per arteriam asperam id malum invaderet, illo eodem die strangulari, cum pulmones atque cor neque talem odoris foeditatem neque ulcera neque saniosos humores sustinere possent. Dolorem inquit Aretaeus, acris et calidus qualis in carbunculo. Aegri exhalant maximae putredinis odorem, quo quidem protinus pectus vicissim adflant; usque adeo sibi displicent, ut non suum ipsorum odorem ferre queant. Pallida his s. livida facies, febres acutae, sitis, ut igne accensi videantur etc. Quis, quaeso, in hac descriptione accuratissimae omnique numero absoluta anginam gangraenosam nonne agnoscere poterit? Addit postea Aretaeus pueros usque ad pubertatem maxime hoc morbo tentari; ducit tum nos ad hujus exitiosissimi morbi terram procreatricem (pag. 13.): *χωρὶς δὲ*

τίκτει Αἴγυπτος μάλιστα . καὶ γὰρ εἰς αναπνοὴν ἔη ξηρὴ, καὶ εἰς ἐδωδὴν ποικίλη κ. τ. λ. atque (pag. 14.): τίκτει δὲ καὶ ἡ Συρίη, μάλιστα κοίλη. ὅθεν αἰγύπτια καὶ συριακὰ ἔλκεα τάδε κικλήσκουσι ⁷⁾). Quae cum ita sint, plurimi anginam gangraenosam in Aegypto Syriaque oriundam antiquissimis medicis certe Aretaeo nec non Aëtio ⁸⁾), qui in recensendis hujus morbi signis omnino cum Aretaeo consentit, luculenter cognitam fuisse censent ⁹⁾). Hic morbus, non solum adeo periculosus verum etiam aliquando saepius epidemice et contagiose grassans, ingenti olim clade terrarum orbem afflixit. Ex Julio Modesto (Macrobius ¹⁰⁾) retulit, sacrificia instituta esse Angeroniae Deae, quod populus Romanus *morbo, qui angina dicitur*, sit liberatus. Dira ista calamitas serius sub initio seculi decimi septimi Neapoli desaeviit ¹¹⁾), atque ex eo inde tempore terris Europae occidentalibus innotuit; nam cum totam Italiam Hispaniamque peragrasset, magnam ubique cladem inferens, Galliam, Belgium, Angliamque ¹²⁾) ipsamque Germaniam infestavit, imo usque ad Scotiae Scandinaviaeque plagas septentrionales ascendit ¹³⁾).

1) *A. C. Celsi de re medica* Libb. octo. Edit. nov. curant. Fouquier. Parisiis 1823. Lib. IV. Sect. 4. pag. 148.

2) Est quidem adhuc sub iudice lis, utrum Galeno recentior vel antiquior vel denique coaevus fuerit Aretaeus (cf. *Henischius* loco statim laudando de Aretaei nomine, patria, aetate etc.: Aetas, qua vixit, ignoratur). Nos vero utimur duce viro doctissimo Heckero, qui Aretaeum octoginta circiter an-

nos p. Chr. nat., totidemque fere ante Galenum vixisse probabile nobis reddidit.

- 3) *Aretaeus Cappadox* de morbis acutis et diuturnis cum commentario, autore G. Henischio. August. Vindellicor. 1603. Lib. I. cap. 7. pag. 7. sqq.
- 4) L. I. pag. 10.: πνιξ ἡ τοῦδε τοῦ εἶδεος (sc. anginae) τῆς πρὸς θεν (sc. cynanches) πολλὸν τι κραταιότερη, ἐν δώρῳ ἐόντος τοῦ κακοῦ, ἐνθα ἡ ἀρχὴ τῆς ἀναπνοῆς . . . οἱ δὲ οὐκ ὕστατοι θνήσκουσι αὐτῆμαρ κ. τ. λ. i. e. Hujusce speciei strangulatus longe quam prioris violentior. Quippe cum in pectore malum sit, ubi spirandi initium ponitur, eodem die moriuntur etc.
- 5) L. I. Lib. I. cap. 9. pag. 12.
- 6) Ἐν κύκλῳ δὲ τῆς ἐσχάρης ἐρύθημα γίννεται καρτερόν καὶ φλεγμονή, καὶ πόνος φλεβῶν ὥς ἐπ' ἀνδρακος.
- 7) Regio Aegypti horum affectuum plane foecunda est. Aër enim spirando siccus adducitur. Varios praeterea cibos suggerit cet. et: Syria quoque, maxime illa, quae Coele i. e. cava nuncupatur, huiusmodi morbos procreat, unde Aegyptiaca et Syriaca ulcera id genus appellant.
- 8) Tetrabibl. 2 Serm. 4. cap. XLVI. de crustos. et pestilent. tonsillar. ulcerib.
- 9) Dissentit ab iis quidem Rud. Aug. *Vogel* in *Libro de cognoscend. et curand. praecip. h. c. affectib.* Cl. I. §. 184. not.: „Videntur, inquit, enim illi graves viri de aphthis scripsisse non de angina gangraenosa. ”Vid. autem praecipue quae sit sententia *Swietenio*: „Patet autem evidenter ex illis, quae eodem capite sequuntur, quod hic non descripserit *Aretaeus* aphthas hodie sic vocatas, sed veram gangraenam a depositione malignae materiae versus fauces nascentem, unde ad anginam gangraenosam tale malum pertinet, etc. V. *Swieten* in *Boerhave aphorism.* §. 816. No. 2. — *Home Princip. med.* I. 2. Part. 3.

- sect. 4. — *Mead* monit. et praecept. med. cap. IV. pag. 52. — *Burserius* l. l. Tom. III. pag. 333.
- 10) *Macrobius* Saturnal. L. 1. cap. 10. cf. *Morgagni* de sedib. et caus. morbor. Ebroduni in Helvet, 1779, Vol. III. pag. 329.
- 11) *Francisc. Nola* de epidemica phlegmone anginosa grassante Neapoli. Venet. 1610, 4. Jo. Ant. *Foglia* commentar. de angin. passione Neapol. 1620, 4. — Jo. Andr. *Sgambati* de pestilente faucium affectu Neapoli saevient. Ibid. an. eod. — M. A. *Severinus* de pestilente et praefocante pueros abscessu. L. B. 1724.
- 12) *Fothergill* an account of the sore-throat attended with ulcers. Lond. 1751.
- 13) De historia hujus morbi epidemiorum cf. *Ozanan* Histoire médicale des maladies epidemiques — (est vero valde manca). —

§. 7.

Sed quoniam attigi jam vim propagationemque adirae istius luis, non vagabitur mea descriptio longius, atque eis fere ipsis definietur limitibus, quae nostro ipso morbo, quem referre coepimus, continentur. Quis autem non admiratur singularem omniumque istum modum, quo morbus uterque specie quidem simillimus (angina membranacea et gangraenosa) plane in contrarias abeat partes, ita ut vix ac ne vix quidem ulla reperiri queat res, qua non inter se discrepet. Hic tantum recensere libet, quae originem antiquitatemque morbi istius respiciant. Ex Aegypto Syriaque oriunda angina gangraenosa, antiquissimis jam medicis luculenter cognita, ab ipsis humani generis initiis repe-

tenda videtur; multo saepius olim humanum genus clade sua afflixit, quam nostris temporibus, ubi in dies rarius offenditur¹⁾; infestat praecipue terras meridionales, aëris temperie ferventi praeditas; a meridie ad septentrionem sensim sensimque progressa est, faventibus Euro, aëre sicco calidoque²⁾, aliisque constitutionis epidemicae gangraenosae biliosaeque causis tam apertis quam occultis. Est hujus morbi causa proxima, ut ita dicam, putridum et quasi necroticum principium, quod vel sponte gignitur atque evolvitur, impetiturque fauces et propiora loca, aut febrili motu genitum extricatumque in iis deponitur vel contagione recipitur, aut ex infectos in sanos traducitur. Primario miasmaticum esse, remotiores causae, quae eae aliorum putrium et malignorum morborum vulgo habentur, tum vero contagiosum esse³⁾, celeris per expirationem, halitum, vaporem aut stillantem ex ore saniem communicatio satis superque declarant⁴⁾.

- 1) Vid. egregiam praeceptoris dilectissimi commentationem: *Henricus Spitta* de sanguinis dignitate in pathologia restituenda. Rostochii 1825. §. 23.: „Quoniam propius ad historiae generis humani accedimus initia, eo frequentius universales, contagio et miasmate divulgatos offendimus sanguinis morbos (sanguis enim individuorum vitae exhibet faciem universalem); atque eadem ratione, qua ab universa rerum natura, evolutione individuali magis magisque potitum manumittitur genus, morbi illi rarescunt. Quare, singulos veterum errores minime quidem probaturi, pathologiam s. d. humoralem pristinis temporibus, solidarem vero nostris diebus magis censem ap-

positam ac necessitate quadam postulata. — En viri omni laude praestantis ingenium sagacissimum!

- 2) *Sachse* in: Encyclopaed. Lexicon etc. Art. angina pag. 562. — In Frankreich entwickelte sich die Krankheit bei *grofser Hitze* (30° R.) als Moräste austrockneten und Südwinde mehrere Monate weheten (teste *van der Monde*). — Scio equidem, Chr. Wilh. *Dangers* (Diss. med. inaug. in anginae malignae aetiologiam eique convenientem medendi methodum inquirens Gott. 1792.) cum anginam malignam (s. gangraenosam) et scarlatinosam unum eundemque morbum esse comprobare, falsamque medicorum de morbi putredine opinionem (pag. 43.) refutare conaretur, ita effatum esse (pag. 51.): „Putridi morbi calidos aestatis menses prae aliis amant. Angina maligna autem saepissime et gravissime autumnali tempore *hiemisque* initio affecit.” Alio autem loco haec habet (pag. 8.): „Attamen autumnales menses, *calidasque* tempestates prae aliis amat.” Angina gangraenosa est vero minime quasi scarlatinae appendix, sed peculiaris putridaeque indolis morbus, a multis scriptoribus autem ita confuse adumbratus, ut hoc *Dangersio* ansam prae-buisse videtur, omnes istius morbi epidemias ad febrem scarlatinosam referendi. Si quando otii satis mihi supererit, ad hanc rem enucleandam animum advertam.

- 3) *H. Spitta* l. 1. §. 18.: „Plurimi, ni fallimur, contagiosorum aequae ac miasmaticorum universalium morborum, *acutiore* praeditorum indole, sanguinis morbi dici possunt, eoque quidem certius, quo minus corporeo vehiculo egere videtur contagium, a miasmatis ideo natura hac ex parte tantopere non abhorrens. E miasmate contra, in pulmonum cutisque praesertim functionem atque haematosin acturo, prodire posse contagium, *neque raro occurrere morbos, in certis ipsorum decursus stadiis et*

faventibus quibusdam rerum conditionibus, contagiosis aequae ac miasmaticis summo jure adnumerandos, persuasum nobis habemus.

4) Quae omnia dicta quantam vim habeant, ad originem antiquitatemque anginae membranaceae explicandam atque illustrandam, postea adhuc videbimus; hoc loco tantum, cum de anginae gangraenosaе ortu sermo esset, gravissimas istas veritates innuere voluimus.

§. 8.

Galenus Pergamenus, qui de physiologia laryngis tracheaeque multis experimentis institutis optime merebat, et primus certis denominationibus laryngem et pharyngem, ab ipso Aristotele adhuc commutatas, distinguebat, pluribus in locis varias pertractat anginae species¹⁾. Prima est, cum fauces inflammantur; altera, ubi nullo in loco quidquam conspicuum, laboranti vero in gutture suffocationis sensus; tertia, ubi externus locus faucium inflammatur; quarta, ubi gutturis partes tam externae quam internae similiter affectae sunt²⁾.

De angina laryngea ita disserit: Αἱ δὲ κυνάγχαι καλούμεναι, φλεγμοναὶ τῶν ἐνδον τοῦ λάρυγγος οὖσαι σωμαίων, ἀνάλογον ἀγχοῦ στερίζουσι τῆς ἀναπνοῆς, ἐμφράττουσαι τὸν πόρον αὐτῆς, διὸ δὴ καὶ μάλιστα τοῦ τῆς φωνῆς ὀργάνου πάθος ἰδιὸν εἰσιν κ. τ. λ.³⁾ atque: καὶ ἑτέρον δὲ τρόπον εἰς ταῦτόν εἶδος ἀφικνοῦνται δυσπνοίας οἱ κυναγχικοὶ, στενοχωρίας οὖσης οὐκ ἐν ταῖς ὑποδεχομέναις κοιλότησι τῇν εἰσπνοὴν ἀλλ' ἐν ταῖς παραπεμπόυσαις⁴⁾; denique, quid discriminis inter cynanchem et peripneumoniam pleuritidemque intercedat, op-

time demonstrat⁵). Quae omnia cum tam accurate dilucideque a Galeno disputata sint, veri haudquaquam simile esse videtur, illum in tanta anginarum cognitione membranaceae descriptionem aut negligentia aut inscitia praetermisisse. Nihilominus extat alibi locus, e quo, uti Ideler⁶) non inepte dicit, hunc morbum isti medico innotuisse concludere queas, nisi specialis et accurata hujus morbi descriptio ibi plane deesset, quae cujusvis falsae interpretationis opportunitatem radicitus circumscideret. Legitur vero in libri de locis affectis primi capite primo⁷): καὶ μὲν δὲ καὶ πὶ τοῦ μειρακίου τοῦ μετὰ βηχὸς ἀναπτύσαντός ποτε χιτῶνα παχὺν καὶ γλίσχρον ἐτεκμηράμεθα τὸ κατὰ τὸν ἀλάρυγγα σῶμα τὸ ἔνδον, ὃ καὶ τὴν ἐπιγλωττίδα συνίστησιν, εἶναι. ἐξεραπεύθη γ' οὖν τὸ μειράκιον, οὐ πάνυ τι πρὸς δοκῶντων ἡμῶν, ἐκακώθη μέντοι τὴν φωνήν. Ita hunc locum interpretatur Kühnius: Ac sane in adolescentulo, qui tussiendo tunicam crassam viscosamque exspuerat, conjecimus internam esse gutturis corpus, quod epiglottida constituit. Itaque sanatus est adolescentulus non admodum sperantibus nobis, mansit tamen vox vitiata. — Fateor equidem libenter, me primo hujus loci intuitu perculsum quasi haesisse, anne ad anginam membranaceam sit referendus. Quum vero ex isto loco, erepto e sententiarum verborumque omni perpetuitate, nihil certi enucleari posse, mox mihi persuasum haberem; alios adii locos, apud Galenum tam copiosum tantisque verborum ambagibus easdem sententias iterantem haud difficulter reperiundos, ut

ita Galenum ex ipso Galeno interpretaturus, in eam obscuritatem et dubitationem lucem veritatemque transferrem. Quo facto in mentem modo mihi veniret necesse erat, Galenum hic non de angina membranacea sed potius de phthisi laryngea verba fecisse. Paulo ante⁸⁾ enim legimus: σῶμα γοῦν τι χονδρῶδες ἐστὶ κατὰ τὰς τοῦ πνεύμονος τραχείας ἀρτηρίας, ὃ καλοῦσι βρογχίον, ὃ τὴν ἰδιότητα μόνοις τοῖς τεθεαμένοις ὑπάρχει γινώσκειν · ὅταν μὲν οὖν ποτε τοῦτο μετὰ βηχὸς ἀναπτυσθῇ, μέγιστον ἔλκος ἐξ ἀναβρώσεως ἢ σηπεδόνοιο ἐν πνεύμονι λογιζόμεθ' ὑπάρχειν · ἐστὶ μὲν γὰρ καὶ καθ' ὅλον τὸν τράχηλον, ἐν τῷ μεταξὺ φάρυγγός τε καὶ πνεύμονος, ἢ τοιαύτη φύσις τοῦ σώματος · ἀλλ' οὐχ οἷον τε τηλικαύτην ἔλκωσιν ἐνταυθοῖ γενέσθαι · φθάσει γὰρ ἀποθανεῖν τὸ ζῶον. ἐν δὲ τῷ πνεύμονι δυνατόν κ. τ. λ. Alius locus similem exhibet sententiam⁹⁾: εἰ γοῦν ὑμενώδους χιτῶνος εκκριθεῖη μόριον, ὅτι μὲν ἔλκωσις ἐστὶ πού, δηλώσει. — — τὸ μὲν γὰρ ἐμούμενον ἦτοι γαστροῦ, ἢ τοῦ στομάχου τὸ πάθος εἶναι σημαίνει · τὸ δ' ἀναβησσόμενον ἦτοι τοῦ λάρυγγος ἢ τῆς τραχείας ἀρτηρίας. Tandem, quae alio loco fusius exponuntur a Galeno, vix quenquam, ni fallimur, dubitare sinunt, quin adolescentulus ille, quem frustulum tunicae crassae viscidaeque tussiendo ejicientem viderat Galenus, non angina membranacea sed phthisi certe laryngea laboraverit: κατὰ δὲ τὴν τραχεῖαν ἀρτηρίαν ἔλκους γενομένου πρὸς τοῖς ἀναβηττομένοις πυώδεσιν οὔσιν, ἐπὶ καὶ τοῦ πεπονθότος μέρους αλγοῦντος αἷσθησις γίνεται τῷ κάμνοντι · καὶ ἡ βραχύτης δὲ τοῦ κενουμένου διορίζει τὴν τοιαύτην ἔλκω-

σιν τῆς ἐν τῷ πνεύμονι, πλεῖον γὰρ ἐπὶ τοῖς ἐν πνεύμονι
 γεγεννημένοις ἔλκεσιν, ἀναπτύεται τὸ πῦον. ὥσπερ δὲ τοῦ
 πνευμονός τι μῶριον συνανενεχθὲν ἐνδείκνυται τὸ σπλάγχ-
 νον ἡλκῶσθαι κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον ἔκ τοῦ λάρυγγ-
 γός εἰδομεν ἐνίοτε τὸ κατὰ τὴν ἐπιγλωττίδα σῶμα
 δι' ἔλκωσιν ἀναπτυσθῆναι, οἷς οὐ μόνον τοῦτο σημεῖον
 ὑπῆρξε τοῦ τόπου τοῦ πεπονθότος, ἀλλὰ καὶ ἡ κατὰ το
 χωρίον αἰσθησις τὸ ἡλκομένον, ὥς καὶ τῆς τρα-
 χείας ἀρτηρίας ἐρρέθη¹⁰). Pergit tum Galenus, pul-
 monis ulcera sine dolore consistere, quae vero in
 his sedibus (sc. larynge et trachea) orirentur, do-
 lorem quidem aliquem inducere, sed eum exi-
 guum, ut si quibus hebes esset sensus, ipsum
 plane non perspicerent; denique contendit, hos
 affectus ipsum persaepe vidisse.

Saepissime autem sputa phthisi laryngea la-
 borantium partibus cartilagineis ac membranaceis
 mixta esse¹¹), inter omnes hujus morbi peritos
 constat. E multis hujusmodi observationum pau-
 cas mihi referre liceat. Morgagni in sputis aegri
 cujusdam non exiguum frustum curvi ossiculi, laeve
 a cava parte asperum a convexa, invenit, atque
 annuli arteriae asperae ossificati partem esse ex-
 istimavit¹²). Arnot virum tussi, doloribus pone
 sternum pungentibus et febre lenta longum per
 tempus vexatum, cum ossiculum spongiosum mag-
 nitudinis avellanae expuisset, convalescentem vi-
 dit. Sachse¹³) cartilaginis tracheae vel laryngis
 partem, ulceratione mutatam, fuisse profitetur.
 Nam cartilagineas partes expuisse virum narrat,
 quarum forma ita immutata erat, ut, ad quam car-

laginem pertinerent, cognoscere non posset ¹⁴). Quae cum ita sint, haudquaquam nos a recto tramite aberrare persuasum habemus, si minus epiglottidis, attamen cujuscunque alius cartilaginis partem, ulcerationibus ex partibus vicinis solutam, adolescentulum illum saepius laudatum tussiendo ejecisse asseveramus. Frustulum illud non solum membranaceum sed potius cartilagineum fuisse, ex eo rite concludi potest, quod secundum Galenum epiglottidem, satis illi cognitam, referebat. Membranae, quae redduntur ab angina membranacea laborantibus, plerumque tubuliformes laryngis vel tracheae formam aequant. Porro Galenus dicit, istam membranam rejectam esse ab adolescente (*μεγαλειον*); qua in aetate phthisis laryngea est frequentissima; cum angina membranacea semper fere infestare soleat infantilem puerilemque. Denique nobiscum communicat, sanato adolescentulo vocem mansisse raucam sive vitiatam, quod sane e phthisi laryngea multo aptius explicari poterit ¹⁵), quam ex angina membranacea, ubi vox mutata plerumque morbo sublato evanescere solet. — Quibus si addas argumenta, quae supra a nobis proferebantur ¹⁶), ut anginam membranaceam tanquam morbum illis locis, illi aëri, illique temperiei (fortasse ipsi aevo?) incongruum demonstraremus, et quae magis adhuc in Galenum Pergami degentem referenda sunt, fatearis necesse est, anginam nostram non a Galeno cognitam nedum descriptam fuisse.

- 1) Medicorum Graecor. opera quae exstant. edition. curav. Dr. C. G. Kühn Vol. VIII. cont. Claud. Galeni T. VIII. Lips. 1824. De locis affectis. Lib. I. cap. 5. pag. 45. — Lib. IV. cap. 6. pag. 247. — Lib. IV. cap. 10. pag. 277. Vid. etiam annotatt. Galeni ad secund. Libr. Hippocrat. Epidemior. etc.
- 2) L. I. de loc. aff. Lib. IV. pag. 248 et 49.
- 3) Lib. I. cap. 6. pag. 54.
- 4) In eandem dyspnoeae speciem alia ratione labuntur ii quoque, quos angina molestat, ob angustiam, quae non est in cavitatibus inspirationem suscipientibus, sed in iis quae ipsam transmittunt. Lib. IV. c. 10. p. 277.
- 5) — Ταύτη γὰρ διήνεγκεν ἡ κυναγχικὴ συνδρομὴ τῆς περιπνευμονικῆς καὶ πλευριτικῆς, καὶ πρὸς τοῦτω γ' ἔτι τῷ τῆς αἰσθάνεσθαι κατὰ τὸν λάρυγγα etc. *ibid.* pag. 247.
- 6) Ideler l. I. pag. 12.
- 7) Edit. Kühnii Vol. VIII. pag. 3. — Edit. Chartres VII. pag. 379. — Ed. Basil. III. 249. — Ut ad hunc locum diligenter indagandum animum adverterem, auctor imprimis erat praeceptor omni laude cumulandus Ill. Hecker, quippe qui anginae membranaeae vestigia in illo reperiri arbitrabatur.
- 8) Edit. Kühn. l. I. pag. 2.: Corpus igitur quoddam cartilagineum est secundum asperas pulmonis arterias, quod bronchion appellant, cujus proprietatem solis ipsum intuitis cognoscere conceditur. Id si aliquando per tussim ejectum est, maximum ulcus ab erosione vel putredine in pulmone esse existimamus. Est enim et per totum quidem collum inter guttur et pulmonem media, talis corporis natura, tam grandis tamen ulceratio in ipso haudquaquam fieri potest, prius enim mors animal occupabit. In pulmone vero fieri potest etc. Vid.

etiam pag. 3.: καὶ μὲν δὴ καὶ ἀγγείου τι μόριον οὐ
 σμικρὸν (an filamentum sanguineum?) ἀναβηχθέν
 ἐδεασάμεθα σαφῶς ἐνδεικνύμενον καὶ τοῦτο τοῖς ἐμ-
 πείροις ἀνατομῇς, ὥς ἐκ τοῦ πνεύμονός ἐστι. Τὰ μὲν
 γὰρ κατὰ τὴν ἐν τῷ τραχήλῳ τραχεΐαν ἀρτηρίαν ἀγ-
 γεῖα τριχοειδῇ πάντ' ἐστίν.

- 9) L. 1. Lib. I. cap. 5. pag. 45.: Si enim membrano-
 sae tunicae portiuncula excernatur, id ulcus esse
 alicubi demonstrat. Nam si vomendo fuerit re-
 jecta, aut ventriculi aut stomachi, si tussiendo, aut
 gutturis aut asperae arteriae etc.
- 10) L. 1. Lib. IV, cap. 9. pag. 289. ed. Kühn. — VII,
 476. Ed. Chartres. — III, 294. Ed. Basil. Orto verum
 in aspera arteria ulcere, praeter hoc quod sputum
 purulentum apparet, dolorem quoque in loco af-
 fecto laborans sentit, at et vacuati exiguitas ab ul-
 cere, quod in pulmone est, hoc discernit, quippe
 ab ulceribus pulmonis plus puris rejicitur. Atque
 ut ex pulmone educta portiuncula visceris ipsius
 ulcerationem significat, eodem modo ex gutture
 vidimus interdum corpusculum per ulcerationem
 excreari. Quibus non solum hoc signum loci af-
 fecti, verum etiam ulceratae sedis sensus, veluti de
 aspera arteria dictum est. — Galen, method. me-
 dend. Lib. V. cap. 2. adolescentium duorum morborum
 historiam, quorum larynx et trachea exulceratae
 erant, descripsit. —
- 11) *Glede* Diss. de phthisi laryngea. Berol. 1828. pag.
 6. et 21.
- 12) *Morgagni* de sedib. et caus. morborum Tom. I. Lib.
 II. Epist. XXII. Art. 24. et 25. pag. 471. et Epist.
 XV. Art. 18. Adlegantur ibi.: *Blasius* in Sepulch.
 chret. S. 7. Observ. 164. Libr. 2. — *Bontius* ibidem
 Observ. 12. — Vid. etiam *Hippocrat.* de morbis II,
 2. *Salvus* Commentat. in ejusd. lib. t. 119. — *Aretaeus*
 de Caus. et Nat. diuturn. Affect. I. I. c. 10.

13) *Sachse* Beiträge zur genauern Kenntnifs und Untersuchung der Kehlkopfs- und Luftröhrenschwindsuchten pag. 164.

14) *Sachse* l. c. pag. 78.

15) *Glede* l. c. pag. 20. et 21. *Albers* Fr. J. H. Die Pathologie und Therapie der Kehlkopfskrankheiten, Leipz. 1829. pag. 223 et 24. multisque aliis locis. — Cf. *Morgagni* l. c. Lib. III. Epist. XLIV. art. 15. pag. 476.

16) Vid. §. 4 et 5. huj. diss.

§. 9.

Quodsi nunc in evolvendis medicorum serius aevi Graecorum libris pergamus, nihil ab illis memoratu dignum vix invenimus relictum, cum omnes fere, solummodo Galeni auctoritatem sequentes, in illius scriptis interpretandis operam studiumque collocarent. Coelius Aurelianus, scholae methodicorum addictus, bronchotomiam jam ante Galenum ab Asclepiade ¹⁾ in curandis anginis propositam refutavit ²⁾. Sunt nonnulli e. gr. Crawford, uti supra (§. 1.) jam monitum est, qui in illius descriptione asthmatis ³⁾ vestigia anginae membranaceae reperire credant; sed recte jam Geelis ⁴⁾: „Nihil, inquit, anginae membranaceae simile prae se fert.” Postea e schola pneumatica Antyllus, cujus fragmenta pretii non exigui in Oribasio conservantur, bronchotomiam ad anginam vehementem curandam denuo propositam, secundum certas regulas normasque instituendam, in usum vocavit ⁵⁾. Oribasius, Juliano imperatore Pergami degens ⁶⁾, Aetius ex Amida ⁷⁾ Alexandriae

medicinae studiis deditus, Byzantii artem factitans salutarem, Alexander Trallianus ⁸⁾ atque Paulus Aegineta ⁹⁾ sub regno Heraclii (an. 630.) novis quidem saepiusque haud ineptis medicaminibus adauxerunt anginae curationem. Ita Alexander Trallianus ¹⁰⁾ antidotum Διαβησασᾶ commendat (ita dictum a Ruta sylvestri), tum venaesectionem supra alia omnia necessariam judicat, eamque per tres aut quatuor vices repeti, denique si per haec auxilia vitium nihil levetur, venas sub lingua incidere jubet, quanquam Coelius Aurelianus id tanquam superstitiosum damnat, neque rem in posterum diem differendam (uti Aëtius quoque praecipit), sed eodem die praestandam esse censet. Sed in variis anginae formis internoscendis et describendis non quidquam profecerunt, et nostram anginam membranaceam certissime ne verbo quidem commemorarunt.

1) Vid. Galen. in medico, cap. 13.

2) Cf. *Porter*, Will., observations on the surgical pathology of the larynx and trachea. Edinburgae 1816. p. 227.

3) *Coelii Aureliani* de morbis acutis et chronicis libri VIII. e rec. Jo. Conr. Ammanni. Amstelod. 1766.

4. Vid. Lib. III. de asthmate pag. 429.

4) *Goelis* l. c. pag. 157.

5) *Antylli* veteris chirurgi Τά λευφανα, praeside Curatione Sprengel, ventilanda exhibet Panagiota Nicolaides. 4. Halae 1799. — *Paul Aegineta* Lib. 6 cap. 33. pag. 186. et *Oribasius* Collect. 6, 21.

6) *Oribasius* Collectorum medicinalium quae exstant Paris 1555, 8. et *Hecker* literar. Annal. 1825. Hft. 1

- 7) *Aëtius* Tetrabibl. 2. serm. 4. cap. 47. Anginae quatuor species e Galeno sed parum exacte mihi describi videntur.
- 8) *Alexander Trallianus* Libri medicinales XV. Gr. et lat. Bas. 1556. 8. Lib. IV. cap. 1.
- 9) *Paulus Aegineta* de re med. Lib. Gr. et Lat. 1538. Lib. VI. cap. 33.
- 10) L. 1. Lib. IV. cap. 7.: „Saepius malo urgente venam mane aperui, sub vesperam eas, quae sub lingua sunt: nocte purgationem institui, atque ita quoque difficulter strangulationem resolvi. In alio post missionem sanguinis statim medicamentum purgans, sequente die non expectato, obtuli etc. Venas jugulares magno cum successu aperui, ut saphenam quoque in feminis, cum menses una suppressi essent, ex quo duplex commodum obtigit, ut non modo menses erumperent, sed etiam tumor in gutture subsideret. — Apposite igitur *Freindius* (in historia medicinae a Galeni tempore usque ad initium saec. XVI. lat. convers. a *Wigan* L. B. 1734. pag. 64.) his laudibus effert Alexandrum Trallianum: Vides haec sicuti alia prope omnia a perito artifice ac magistro dictata, neque sane haec laus illi sine injuria denegari potest, quod medela ab eo ordinata rationi exactissime conveniat: ita ut post medicinam tot inventionibus et incrementis locupletatam vix quicquam his adjicere valeamus.

§. 10.

Jam vero contemplemur paulum praecipuos arabum scriptores; quae videlicet natio, per imperii Graeci senectutem atque ecclesiae Romanae tenebras, cum quodammodo omnes disciplinae essent extinctae, arma ac doctrinas suas per maximam orbis terrarum partem diffudit, ceterisque

gentibus haud minus eruditionis gloria quam bellica laude praecelluit. Nihilominus vero ab hoc inde tempore usque ad Graeci imperii occasum obscura valde et inaequalis quaedam solitudo protrahitur, quam cum intrare cogar, nusquam apparet exitus, et ubivis circumvagando fatigari necesse est. Arabs Albucasis ¹⁾ (Alsaharavius) operationem bronchotomiae a Paulo Aegineta, nulla ejus mentione habita, exserebat, eamque in angina usque ad arteriae asperae ramos jam propagatam ineptam censebat. Alioquin sine periculo institui posse arbitratur. Memoria dignum est, quod Avenzoar enarrat, aphoniam, anginae prae se ferentem signa, paralysin musculorum pharyngis ²⁾ insequi. De bronchotomia in desperata angina bene existimare videtur, ipsam vero operationem arduam censet; quamobrem experimentum in capra ab ipso instituebatur ³⁾. Haec habes, quae mihi, literarum Arabicarum ignaro, gravioris interpretationibus Latinis videbantur momenti ⁴⁾.

1) *Albukasis* de chirurgia ed. arab. et latin, Chaning 4. Oxon. 1778.

2) Theisir (Thaïsser) Lib. 3 tr. 10. cap. 18. f. 16. c.

3) Lib. cit. tr. 14. c. 1. f. 20. d.

4) Haud equidem arbitror, praesto esse apud Arabes locos, qui anginam nostram membranaceam illi cognitam fuisse significant. Nam Michaelis, auctore Werlhofio, cum de meritis Arabum in medicina scribere proposuisset, ab ineunte aetate Arabicam linguam didicisset, et MSS. Arabica, quorum magna pars ad medicinam spectat, Parisi vidisset, in egregio suo de angina polyposa libro

nullibi unquam de morbo nostro in Arabum scriptis obvio adumbratoque mentionem facit.

§. 11.

Tetris posthac tenebris, quae medicinam omnesque artes liberaliores obruebant, sensim sensimque a scholis medicis, primum Salerni tum Bononiae Parisiisque florentibus, dissipari coeptis, nova lux oborta est arti salutari. Sed neque Guilelmus de Saliceto, neque Lanfrancius, neque Guido de Cauliaco quidquam in cognoscendis tractandisque anginis profecerunt. Disceptatum est acriter de instituenda nec non applicanda bronchotomia, quamvis jam Rolandus, Professor Bononiensis seculo decimo tertio, laryngis abscessu cultri ope aperto, partis hujus vulnera periculum non afferre censuisset ¹). — Gallia vero tum doctrinae faces reliquis Europae terris praeferibat, tum medicorum doctorum copia atque studio, utramque medicinam fovendi colendique, quod ab ipsis regibus incitatum singulari quodam ardore tota gens amplectebatur, prae omnibus antecellebat. Minime igitur mirari possumus, quod prima morbi nostri vestigia ex istius populi scriptis repetenda sint, obscura quidem, nec Anglorum recta simpliciue descriptione adumbrata, nec Germanorum gravitate et subtilitate enucleata, attamen ita in medium prolata, ne qua erroris suspicio sit. *Guilelmus Ballonius* (Baillou), facultatis medicae Parisiensis quondam Decanus ²), in historia morborum, qui per octo annorum (1570 —

1578) spatium urbem Parisiensem infestabant, omnium princeps anginam membranaceam descripsit, sed parum apte et accurate, ita ut vix ac ne vix quidem morbi hujus imago plane dignosci posset, nisi, quae chirurgus quidam cum illo communicavit, memoriae nobis mandasset. Leguntur enim haec apud Ballonium³⁾: „Aegri „quatuor mihi noti, qui eodem fere tempore in- „teriere morbo consimili. Omnibus medicis ne- „gotium dedit; imo ausim asserere morbum non „intellexisse: Difficultas spirandi erat summa. „Spiritus frequens et parvus ad mortem usque, „in sicco velut spirare videbantur; nec tussis nec „sputum, spiritum ne ad momentum cohibere po- „terant; erecto paulum corpore ita parvum et fre- „quens spirabant; febris non erat magna, nec „quae istam spirationem requireret. Medici jaccu- „sabant pulmonem, alii catarrhum esse putabant, „alii inflammationem aut phlogosin pulmonis. „Quod non erat credibile, cum febris non esset „saltem commemorabilis. Nec phlebotomia nec „subductio alvi juvit.” — In annotationibus ad istunc locum⁴⁾ haec addit: „Chirurgus affirmavit „se secuisse cadaver pueri ista difficili spiratione et morbo, ut dixi, incognito sublato. In „venta est pituita lenta, contumax, quae instans „membranae cujusdam arteriae asperae erat ob- „tenta, ut non esset liber exitus et introitus spi- „ritui externo, sic suffocatio repentina.” Recte jam admonuit Bonnetus⁵⁾, eam spirandi difficultatem, quae eo tempore vagata est, non ab una

causa eademque profectam esse ⁶⁾, cum pulmones etiam reperirentur ex parte vitiosi, et quae sunt huiusmodi. Verosimillimum igitur nobis videtur, tum temporis morbos, organis respirationis inimicos, esse grassatos ⁷⁾, anginamque membranaceam epidemice aetatem infantilem infestasse ⁸⁾; cum peculiaris aëris constitutio, omniumque earum rerum, quae procreandis propagandisque epidemiis favere solent, conditio ⁹⁾ morbum nostrum, e septentrionalibus terrae plagis humidis frigidisque fortasse advectum, inter Galliae incolas dissiparent. Morbum non prius unquam ibi observatum fuisse, eadem testatur Ballonius dicens, morbo *incognito* sublatis esse aegros. Si quis mirabitur, quid sit, quod Ballonius anginam membranaceam tam manca incongruaque, ne dicam, inepta ratione descripserit, ut sceptico cuidam nimio adhuc dubitare liceat, utrum vere de isto morbo sermo fuerit nec ne, memoria sibi repetat, quae jure meritoque ita effatus est Curtius Sprengel ¹⁰⁾: Die Geschichte (Ballonii videlicet) von 8jährigen Epidemien (1570—1578) ist auf keine Weise des Beifalls der unparteilichen Nachwelt werth. Die leichtesten Beschreibungen des herrschenden Krankheitscharakters scheinen nur eine Nebensache auszumachen etc. Sed illa cadaveris dissectio instituta a chirurgo quodam (qui vir ignotus causam dyspnoeae istius, de qua Ballonius sermonem facit, acriter jam intelligens rite enarrabat) extra omnem, ni fallor, dubitationem ponit, epidemiam anginae membranaceae tum in subolem

Gallicam saeviisse. Mirum autem profecto videbitur, quod, post hanc experientiam factam, nihilominus neque ipse Ballonius ¹¹⁾ neque perlongius posthac temporis medici accuratius morbum nostrum indagarent, sed ita omnino negligenter, ut, cum serius membranas illas tubuliformes excretas viderent, usque ad Michaelium invaluerit opinio, quae, maxime a vero tramite aberrans, corpus istud pro tunica asperae arteriae interna mucosa, naturali nexu soluta, habebat ¹²⁾.

1) *Rolandi chirurgia*. 2. 7. f. 193. d.

2) *Nat.* 1538. mort. 1616. *Vitae ejus memoriam vid.* in edit. *Tronchin*,: *Ballonii Opera omnia*. T. 1—4. Genev. 1762. 4.

3) *Gulielmi Ballonii Medici Parisiens. Epidemiorum et Ephemeridum Libri duo*, studio et opera M. *Jacobi Theuart* Medic. Parisiens. digesti, Scholiis aliquot illustrati, et in *lucem primum editi*. (Ἀφ' ὅπως βιώσειν, καὶ μὴ λανθάνειν, φθεγγόμενα πρότερόν τε πεπαινέιν) Parisiis apud Jacob. Quesnel. MDCXL. Lib. II. Constitutio hyemalis anni Domini 1576. pag. 197. — Etsi Ballonius jam anno 1576 in describenda constitutione ejusdem anni hiemali literis haec mandavit, quae ad morbum nostrum spectant, tamen, illo jam defuncto, anno videlicet 1640 publici juris sunt facta, cum Jacob. Theuart, ut ipse praefatur, „elogio Buvardi, Archiattrorum coemitis, quasi stimulo quodam vehementer se incitatum sentiret, Ballonii, avunculi sui, opera ex musei Parisiensis latebris in publicum emittenda ac prae ceteris Epidemiorum et Ephemeridum libros duos.” —

4) *Annotat.* 7. pag. 201.

- 5) *Theoph. Boneti Sepulchretum s. Anatomia practica etc.* Tom. I. Genev. 1679. Lib. II. Sect. I. pag. 386. *Observat.*: Dyspnoea a pituita lenta intra Tracheam arteriam concreta.
- 6) Historia morbi Nicolai Dubuisson, pag. 198, ut mihi quidem videtur, non huc referenda est, sed quantum ex manca descriptione colligi potest, affectio erat asthmatica.
- 7) Pag. 189.: Hic (videlic. hyeme an. 1576) considerari potuit, quantam vim habeat aër et tempestas; et porro: Unde plerique exeunt domo mane sani et sicci, qui attracto haustoque aëre nubiloso, aut frigidioris auræ appulsu statim *tussiunt, vocem raucam compressamque habent.* Pag. 200.: de dyspnoea in puero obvia loquitur, in quo obaudiebatur strepitus magnus cum raucedine, ita ut in easdem affectiones orthopnoicas casurus videbatur, de quibus hoc loco agit Ballonius. At, inquit, adventantis rubiolæ id fuit indicium. Pag. 201.: Eo tempore vagabantur tusses, vulgo *Quintes* dictæ. Et quod *ex intervallis* facit quintæ causa *fugax*, id facit eadem causa *fixa*. Hic perseverat difficultas spirandi usque ad interitum.
- 8) Non solum quatuor isti pueri tum a Ballonio observabantur; sed etiam in annotat. 7. pag. 200 — 201 plurium adhuc fit mentio: Alius, inquit, puer annos 7 natus consimili morbo interiit. Non est deprehensa tam saevi morbi et difficultatis spirandi causa etc.
- 9) Pag. 168.: Constitut. verna et aestiv. a. 1576.: *Aquilo* mensis Martii et Aprilis partem aliquam perflavit. Ibid.: Caput autem innumeras fluxiones toto mense Aprili, Majo et Junio expressit in maxillas, dentes, guttur, humeros. Pag. 169.: Ad aestatem morbilli pueros infestarunt. Pag. 180.: Constitut. autumnal. ejusd. anni. Annotarunt et Chirurgi, hac maxime

constitutione omnia ulcera esse δυσσεπούλωτικα. Haec autem inclementiam et gravitatem ipsius aëris indicant. Pag 187. De tempore hujus autumni satis insalubri loquitur. De constitut. hiemali ejusd. anni maxime humida vid. pag. 189, 199, etc.

10) C. Sprengel Geschichte der Medicin, Tom. V, pag. 423.

11) Ipse Ballonius minime causam morbi nostri proximam cognovit. Dubitabamus, inquit, eam affectionem an jure vocare possemus orthopnocam siccam (secund. Hippocrat. Part. 21. Lib. 4. Acutorum) an sanguisugum (cf. Gordonius Cap. 8. Lib. 4. sanguisugum est difficultas anhelitus, cum aliquis non potest expellere aërem pro tanto, quia pectus et cannae non possunt constringi sufficienter, ibi retinentur fumosae superfluitates.) Vid. l. l. pag. 198—199. — Admonendum mihi videtur, ipsum Ballonium cadaverum quatuor aegrotorum, de quibus loquitur, dissectionem instituisse, nulla vero laryngis tracheaeque conditionis mentione facta, ut illas inspicere neglexisse jure quodam concludi possit. Errant igitur *Michaelis* l. l. pag. 302. et *Sachse* l. l. 236., si ita Ballonium interpretantur: „His (sc. quatuor aegrotis) dissectioni anatomicae traditis inventa est pituita lenta, quae membranae instar asperae arteriae erat obtenta etc.”

12) Cff. imprimis: *Wilcke* Diss. de angina in patria observata, praesid. Cl. Aurivillio, Upsal 1764. — *Michaelis* l. c. pag. 46. et *Sachse* pag. 176., qui argumentis istam plane refellunt opinionem, quae adhuc tenebat Arnaultium de Nobleville, Starrium, Littrium, Winslovium, imo Sellium aliosque.

§. 12.

Ante Ballonium non ullum scriptorem fuisse affirmare ausim, qui de angina membranacea scriptum aliquid reliquerit. Non equidem ignoro, a nonnullis laudari Forestum, ac si jam anno 1517 ¹⁾ epidemia anginae membranaceae ab illo observata sit. Sed Forestus describit ²⁾ anginam gangraenosam gravissimam; quod luculenter patet, cum ipse dicat, in ista epidemia omnes laborantes gravissima *faucium* inflammatione correptos, atque illius causam fuisse *febrem putridam, ardentem*, epidemicam. Sachse ³⁾ vero hanc Foresti observationem recensens: Die Nothwendigkeit, inquit, der Aderlässe und die schnelle Tödtlichkeit scheinen auf den Croup zu deuten. — Quanta vero mihi sit reverentia erga viri illius clarissimi opus de angina membranacea immortale, illi tamen vix ac ne vix quidem assentire possum. Quidquid enim ex juvantibus et nocentibus ratiocinamur, dubium semper exiguique pretii haberi debet. Si quis enim varias diversasque medicorum sententias, quas de vi remediorum salutare in morbis nonnullis ferebant, consideraverit; non mirabitur, quod Forestus quam celerissime sanguinem in hac angina detrahendum censeret, cum omnes fere prioris aevi medici ipsique summi, ut Aretaem omittam, Mercatus, Severinus, Bartholinus, Heredia, Garnier, Lange et praesertim Chomel ⁴⁾ et Dubourg venam in angina gangraenosa secandam esse judicarent ⁵⁾. Quemadmodum igitur haec in istam quadrant an-

ginam, ita etiam, qui ab illa corripiebantur, celerime diem obeunt supremum. Malouin anno 1748 Lutetiae Parisiorum multos infantes jam hora nona e medio sublato vidit⁶⁾; Neumann⁷⁾ interjecto horarum duodecim spatio; Mercatus vero et Severinus die primo; idem et Tournefort die secundo et sic porro.

1) Non 1527 uti apud Sachsium pag. 235. legitur.

2) *Forestus* Observat. 2. Lib. 6. — *Lazarus Rivierus* Praxeos medicae Tom. secund. Lutetiae Parisior. 1648. pag. 268. Ad causas (anginae) internas revocari possunt morbi praecedentes, ut febres continuae, putridae, ardentes et imprimis epidemicae, qualis fuit illa, quae recensetur a Foresto. In qua omnes laborantes gravissima faucium inflammatione corripiebantur, et intra sexdecim aut viginti horas moriebantur, nisi ante sex horas ab invasione sanguis detraheretur. In hac autem angina, addit Riverius, febris symptomatrica non est sed potius *essentialis*, et *angina* veluti illius *symptoma*, quando materiae morbificae pars ad hunc locum propellitur.

4) *Sachse* l. c. pag. 235.

4) *Chomel* Diss. sur le mal de gorge gangréneux. Paris 1749. pag. 73. Venam in angina gangraenosa secari jussit, „parceque la maladie augmentera à proportion, qu'elle trouvera plus d'humeurs à corrompre." Octo aegrotorum, qui annum agebant secundum usque ad decimum quintum, non ullus elapsus est, nisi bis vel octies illi vena esset secta. Epistaxis simplex indicationem illi praebuit octies venaesectionem repetendi. *Sachse* igitur summopere exclamat: Kaum ist es begreiflich, daß den noch 3 von diesen Mishandelten genesen konnten!

- 5) Cff. Chr. Frid. *Dangers* loc. supr. laudat. pag. 60. (De Venaesectione) et *Sachse* in: Encyclopäd. Wörterbuch Tom. II. pag. 569.: zu sehr gewohnt in der Bräune zu Ader zu lassen, und sie als reine Entzündungskrankheit zu betrachten, oder selbst wenn man sie für asthenisch hielt, das ungesunde Blut wegzuschaffen, wandten die ersten Beobachter unserer Krankheit auch hier ganz methodisch Aderlässe an.
- 6) *Malouin* in: Histoire de l'Acad. des sciences à Paris 1748. pag. 551.
- 7) *Neumann* in Horn's Archiv. 1811. pag. 252.

§. 13.

Nicolaus Piso (Lepois) minime, uti Zicknero ¹⁾ opinio esse videtur, de angina membranacea memoriae aliquid tradidit, sed anginae mere inflammatoriae historiam conscripsit, his verbis quidem usus ²⁾: Tum profecto oculi vertuntur et rubent, ac veluti his, qui strangulantur, prominent. Vox impedita nihil significat, et qualis catulorum est, tenuis editur, os apertum hiat, ex eoque spumens saliva movetur, lingua exseritur, crebraque ut in anhelis propter laboris impetum equis agitur. — Alia epidemia anno 1557 Lutetiae Parisiorum grassata, a Pasquier ³⁾ descripta, ex opinione Curtii Sprengel ⁴⁾ tussis convulsivae antiquitatem demonstrare videtur; Wichmann ⁵⁾ autem et Jahn ⁶⁾ potius ex hac anginae membranaceae antiquitatem derivandam esse censent, propterea quod neque ulla tussis mentio sit facta,

neque infantes illa correpti suffocari soleant, denique quod, epidemiam autumnō humido et frigido grassatam esse, dictum sit. Utraque vero opinio arridere mihi nescit. De his omnibus, libenter equidem fateor, nihil apud Pasquierum invenire potui⁷⁾, quippe qui ita enarrat: morbum subito media in aestate per quatuor dies ortum, omnes fere homines infestasse cum magna narium destillatione, gravibus capitis doloribus, febrique duodecim usque ad quindecim horarum; omnes fere aegrotos sine artis ope sanatos; eumque morbum ex eo inde tempore novo nomine — Coqueluche — appellatum esse. — Quid, quaeso, in hac epidemia aliud quam febris catarrhalis epidemica, tussi et gravedine capitis, ut saepissime, stipata? Minime cum Sprengelio tussis convulsivae vestigia hic reperiri contenderem; sed nomen huic morbo novo inditum, serius autem κατ' ἐξοχήν in pertussim translatum dicere ausim. Utcunque erit, ab angina nostra membranacea omnia ita, quae Pasquier refert, plane abhorrent, ut non ullum fore praevideam, qui hanc rem in dubium revocare possit. —

1) Zickner l. c. pag. 4.

2) *Nicolaus Piso* de cognoscendis et curandis corporis humani morbis. Batav. 1736. Lib. II. pag. 135.

3) *Recherches de la France d'Estienne Pasquier*, Conseiller etc. 1621. Livre quatrième. Chapitre XXVIII. pag. 411.

4) *Sprengel* Geschichte der Arzneikunst. Vol. III. pag. 98.

5) *Wichmann* Ideen zur Diagnostik. 2 Tom. 1801. pag. 125.

6) *Jahn* Kinderkrankheiten. 1805. pag. 482.

7) Eadem epidemia a *Coyttaro* (de febre purpur. epidem. Cap. 2. §. 6.) adumbrata esse dicitur. Cum vero hujus libri invisendi nulla mihi, valde quamvis concupiscenti, daretur potestas, judicium meum suspensum tenere cogor.

8) Pasquier l. 1. — Nous vismes en l'an mil cinq cens cinquante sept *en plain esté* s'élever par quatre jours entiers un reume, qui fut presque commun à tous, par le moyen duquel le nez destilloit sans cesse comme une fontaine, avecques un grand mal de teste, et une fièvre, qui duroit aux uns douze, et aux autres quinze heures, que plus, que moins, plus soudain sans oeuvre de médecin on estoit guery, laquelle maladie fut depuis par un *nouveau terme* appelée par nous — Coqueluche. — Tum dicit, se ipsum aliis cum Jureconsultis morbo isto subito infestatum esse: Nous fusmes inopinément surpris de cette fluxion et toux, de telle façon que pour ce jour et deux ensuivans nous eusmes surséance d'armes. — Similem morbum jam die vigesimo sexto (a. 1403) mensis April. grassatum, in annalibus senatus Francogallici (Parlament) memoriae traditum esse asseverat. Anno 1411 alium morbum, *le Tac* appellatum, et a. 1427. alium, cui nomen *Ladendo* inditum, Galliam epidemice infestasse, apud eundem scriptorem legimus.

§. 14.

Quodsi nunc ad scriptores Ballonio seriores transeamus, longo posthac intervallo morbum nostrum nullibi unquam commemoratum videmus.

Neque enim Joannes Rhodius, neque Horstius, neque, quod permultis fortasse mirum videbitur, ille a Michaelio jam laudatus Jacobus Bontius anginae membranaceae ullam faciunt mentionem, sed plane alias describunt aegritudines. Rhodius ¹⁾ haec habet: „In cadavere foeminae aspera arteria tota erat inflammata parte interiore cum notabili nigredine ²⁾. Longo intervallo, quum rauca vixisset, obmutuit. Caeteroqui membrana occulte sanguinis vascula, sicut tunica oculorum summa ³⁾.” Patet satis luculenter, hic de morbo diuturno aut phthisi aut ipsa gangraena tracheali verba facere Rhodium. Horstius ⁴⁾ de angina faucium mere inflammatoria, dolore faucium, difficili respiratione et deglutitione etc. stipata, loquitur, maturatoque faucium apostemate sponteque rupto pus copiosum rejectum esse. *Tertia observatio continet asthmatis descriptionem: Adolescens diuturni affectus accessiones frequenter patiebatur, ita ut crescente luna afficeretur respiratione sonante, pectoris dolore gravativo et quasi suffocante noctu magis quam interdiu — Timor, anxietas, lipothymia. Juvenis per unum et alterum annum leviores hujus morbi accessiones habuit.* De Bontio ⁵⁾ aliquid fusius nobis disputandum erit, cum, praeter Michaelium ⁶⁾, Sachse ⁷⁾, Goëlis ⁸⁾ aliique anginam membranaceam accurate ab illo descriptam esse credant. Michaelis, qui hanc historiam illius aegroti non totam sed ex parte tantum Bontio exscripsit, huic errori, ni fallimur, primam dedit ausam.

Henricus N., ita enim legimus apud Bontium, post mortem dissectus fuit; uterque lobus pulmonum non tantum arcte costis adnatus fuit, sed etiam inferius diaphragmati, ut sine laceratione inde avelli non posset. In *dextro latere*, ubi *maiores dolorem* senserat, inventa sunt fragmenta bronchiorum, ab substantia pulmonum avulsa, cum *sanie copiosa*, qualia, dum viveret, in magna quantitate excreare consueverat. — Vox illi erat clangosa, qualis Gallorum Africanorum aut Calecutianorum. Laboraverat longo tempore antea *sputo sanguinis*, unde *hujus miseri mali initium*, quod etiam *extreme extenuatus obiit*. — Quid vero in hujus morbi historia ad anginam membranaceam referri possit, vix intelligimus⁹⁾. Satis luculenter, ut nobis quidem videtur, descripsit Bontius phthisin pulmonalem ac simul certe trachealem, quae haemoptysin subsecuta, magnaue bronchiorum exulceratione, quorum substantiam cartilagineam exscreaverat aeger, insignita erat. Reperiebantur enim haec bronchiorum fragmenta non sicuti membranae anginae polyposae in larynge aut ipsa trachea, sed *cum sanie copiosa in dextro latere* thoracis. Vox autem ista clangosa ob phthisin trachealem (fortasse laryngeam quoque), quae sine dubio una cum pulmonali praesto erat, exorta est¹⁰⁾.

1) Cf. *Conr. Victor Schneider Lib. de catarrh. III.* Witteberg. 1661. Cap. V. pag. 530.

2) *Sachse l. c.* pag. 236. in annot. ad h. l. dicit: Wir werden unten sehen, daß die Pseudomembran schon

öfters schwärzlich beobachtet worden ist (vid. ibid. pag. 266.). Rhodius non membranam sic dict. spuriam, sed ipsam tunicam tracheae intimam, s. mucosam, nigredine notatam repertam esse contendit. Inflammata trachea, ita disputant Rhodius et ejus interpres Schneiderus, vasa sanguifera in apertum prodeunt. Caeteroqui (i. e. si arteria aspera sana nec inflammata reperitur) membrana (i. e. membrana s. tunica mucosa ipsa) occultit sanguinis vascula, sicut tunica oculorum summa (i. e. conjunctiva).

- 3) Hoc sibi vult, conjunctivam oculi sani vascula abscondere; simulac vero inflammatio suborta sit, statim illam conspici. vid. Not. 2. huj. §.
- 4) *Gregorii Horstii* Observationes medicinal. singular. Lib. III. pag. 143. sqq. Edit. nov. Ulmae 1625. — Observat. I. et III.
- 5) *Jac. Bontius* de medicina Indorum. Lugd. Batavae 1642. Lib. IV. Observ. 2. Cf. Boneti Sepulchretum anatom. Lib. II. Sect. VII. Observ. 12.: In *phthisico* fragmenta pulmonum, ab eorum substantia avulsa, reperta sunt in dextero latere cum plurima sanie, pag. 558.
- 6) *Michaelis* l. l. pag. 5 et 302.
- 7) *Sachse* l. c. l. pag. 236.: 1642 hat Jacob Bontius den Croup mit folgenden Worten geschildert etc.
- 8) *Goelis* l. l. pag. 158.: Bontius angin. membranaceam bene nosse videtur.
- 9) Nostrae opinioni favent quam maxime, quae a summo Morgagnio hac de re disputata sunt (de sedib. et caus. morb. Lib. II. Epist. XXII. n. 24. Vol. I. pag. 471. edit. Ebrodun.). Nos vero non illius modo arteriae annulos sed et frustula, quae inter pulmones annulorum loco plura conveniunt ex cartilagineis facta ossea, observata habemus.

bronchiorum autem fragmenta, qualia a corrupto pulmone avulsa, in sanie intra phthisici thoracem reperta sunt, talia hominem in magna quantitate exscreare consuevisse, testatur *Bontius*.

- 10) *Glede*, l. c. pag. 20. — Vid. supra §. 8. et script. in annot. 12 et 15. laudata.

§. 15.

Christophorus Bennet ¹⁾ aegrotum post tussim gravissimam tracheae membranam, ut opinabatur, internam ejicere, illamque postea regenerari vidit. Curtius Sprengel ²⁾ magno in errore versatur, si haec *prima* anginae membranaceae vestigia, quae fide quadam historica ostendi queant, exstare credit, cum jam octoginta duobis annis ante apud Ballonium reperiuntur, de quibus dubitare quisquam vix nequit. Contr. Victor Schneider in libro de catarrhis ex opinione Sachsii ³⁾ pluribus in locis de angina membranacea disserit; sed cum neque ullum signum anginae membranaceae pathognomonicum, neque ullibi unquam casum hujus morbi, a semet ipso observatum, nobiscum communicat Schneiderus, eodem jure quae verba facit de humoris abundantia in larynge tracheaque ⁴⁾, de muco ex vasis laryngis tam subito et una ex pulmonum vasis tanta vi erumpente, ut spiramentum praeccludatur ⁵⁾ etc., omnia ista similiaque, nunquam, partim ad simplicem affectionem catarrhalem, partim ad blennorrhoeam pulmonum, partim ad ipsum catarrhum suffocativum referri poterunt. Nicolaus Tulpius ⁶⁾ historiam morbi famosi illius sarcoris, quem tot postea laudarunt scriptores, pro-

pterea quod omnibus mirum videbatur, hominem cum tussi plurima crassae albae ac glabrae aliqujus membranae fragmenta ejecisse, memoriae nobis prodidit. — Michaelis ⁷⁾, quin hunc casum, etsi tam breviter relatus sit, ad morbum nostrum referret, eo minus dubitavit, cum inter catarrhalia initia concretio membranacea rejecta, et vox quoque praeternaturali ratione mutata fuerit. Equidem illam a Tulpio adumbratam historiam anginae membranaceae annumerandam esse censeo; ob aegroti aetatem proveciorem reliqua morbi signa minus in lucem prodiisse, et levius periculum vitae aegroti minitatum esse videntur ⁸⁾. Ettmülleri observatio ⁹⁾, auctoribus Homio et Crayfordio, anginae membranaceae simile quiddam habere videtur, attamen dubitandum esse, propterea quod peculiaris vocis stridoris nulla fiat mentio. Albers ¹⁰⁾ extra omnem dubitationis aleam positum esse credit, anginam membranaceam ab illo observatam, cum catarrho autem suffocativo commutatam esse. Utcumque erit, non infitias ire possumus, sensim sensimque anginam membranaceam saepius non solum observatam, sed quoque obviam esse factam. Harris ¹¹⁾ anno 1691 de morbo nostro loquitur. Anno 1735 Struvis Augustae Vindelicorum historiam anginae membranaceae publici juris fecit ¹²⁾.

1) *Chr. Bennet*, Theatrum tabidorum, Londin. 1656 pag. 55. Utrum casus hic memoratus jure meritoque anginae membranaceae annumerari debeat, nec

ne, dicere non ausim, cum voti, hujus libri inspi-
ciendi, nullo modo compos fieri possem.

- 2) *C. Sprengel* l. l. Tom. V. pag. 442.
- 3) *Sachse* l. c. pag. 237.: 1661 theilt uns *Schneider* so manche hierher gehörige Bemerkung mit, daß ich kaum begreife, wie alle Schriftsteller sie bisher übersehen konnten.
- 4) *C. V. Schneider* Lib. de catarrh. tert. Witteberg, 1691. pag. 531.: Ex humoris abundantia, ut in catarrhis vox, rauca efficitur.
- 5) Pag. 543 et pag. 545.
- 6) *Nicolaus Tulpius* Observation. medicae. Amstelod. 1612. Lib. IV. cap. IX. pag. 494. Exstat quoque apud *Michael*. pag. 300. ap. *Sachs*. p. 238.
- 7) *Michaelis* l. c. pag. 5 et 300.
- 8) *Sachse*. Bei Erwachsenen ist die Krankheit weniger gefährlich und gewöhnlich von längerer Dauer, der geringen Convulsibilität und der Kraft wegen, womit sie den Keim der Haut auswerfen können, und wegen der Ruhe, womit sie jede Hülfsleistung zulassen.
- 9) *Ettmuelleri* Opera medica. T. II., Francft. 1708. Cas. XIV. pag. 604.
- 10) *Albers* annotat. ad *Home* pag. 3.
- 11) *Harris* gründlicher Bericht von den schnellen u. gefährlichsten Krankheiten junger Kinder. Leipz 1691. pag. 58—60. — *Harris* Tractatus de morbis acutis infantum. Genev. 1727. pag. 10.
- 12) *Struve* in Act. natur. curios. Vol. I. et in Nov. Actis Vol. II. observat. 41. Cf. *Michaelis* pag. 294

et 295., qui haec addit: En insigne nostri morbi exemplum! nam pro tali, quem mox retuli, casum habere propter recensitas causas (catarrhalia videlicet initia polypumque rejectum) nullus dubito. Et illum quidem eo magis attentionem nostram mereri credo, cum iteratis vicibus post perfectas longasque remissiones redierit.

§. 16.

Perpauca adhuc mihi licebit facere verba de singulari ista ratione, qua angina nostra membranacea inde ab altero saeculi praeterlapsi dimidio repente quasi multo frequentius obviam facta, et e regionibus septentrionalibus in meridionales, quas eousque nondum attigerat, terras propagata est. Simul eodem tempore angina gangraenosa, e meridie ad septentrionem versus migrans, populos denuo ¹⁾ sua afflixit clade. Igitur per longam annorum seriem (1744 — 1769) utrumque morbum partim alternis vicibus epidemice infantes corripere, partim simul in iisdem locis eodemque temporis spatio desaevire, partim solummodo sporadice et sparsim aegros infestare videmus. Eius quoque causam, quamobrem hujus temporis scriptores utramque anginae speciem toties non solum confundebant; sed etiam saepissime unam eandemque habendam esse censebant. — Starckius ²⁾ anno 1744 in Cornwallis morbum epidemicum ingenti saevitia grassantem sub nomine morbi strangulatorii descripsit, quem Cullen, Cravenford, Rutty aliique ad anginam membranaceam

preferunt, alii, inter quos praesertim Home³⁾ nominandus, ad anginam gangraenosam pertinere credunt. In tanta scriptorum dissensione grato animo accipiendae sunt disquisitiones, quas incredibili sagacitate miraue doctrina Michaelis⁴⁾ instituit, nec non vir Ill. Sachse⁵⁾ correxit. Prima enim Starrii descriptio exhibet morbum quendam epidemicum et contagiosum omniumque periculosissimum, in quo symptomata quamvis varia in eo semper tamen constiterunt, quod magna undique ad putredinem proclivitas appareret. Altera fidam exhibet anginae membranaceae imaginem. Tertia, quamvis alteri simillima videatur, gangraenosae tamen e Michaelii⁶⁾ sententia adscribi debet, sed Sachsio⁷⁾ membranaceae speciem praese ferre videtur. Equidem a vero non alienum esse puto, utrumque morbum, tum inter infantes adesaevientem, simul eundem saepius aegrum infestasse; quamobrem melius pro morbo complicato habere, quem in tertia historia describit Starrius. Si quis dubitet, quin morbi in tam contrarias partes abeuntes complicationem inire possint; his, quaeso, adeat Bergios, Russelios, Rudbeckios, Bayleios, Halenios et Maerkeros⁸⁾. —

Epidemica morbi nostri constitutio, e Britannia propagata, Galliam ipsamque Italiam infestavit, ubique autem cum gangraenosa complicata. Morbum nempe epidemicum anno 1746 Lutetiae Patriciorum observatum, et a Malouino⁹⁾ nitide descriptum, ob rejectas in illo membranas tubulifor-

mes ad nostram quoque aegritudinem, ob faucium crustas, teterrimum animae foetorem aliaque ejusmodi signa ad anginam gangraenosam referendum esse censeo, etsi Michaelis ¹⁰⁾ solummodo veram anginam gangraenosam tum grassatam esse opinatur. Anno sequenti 1747 Arnault de Nobleville anginae membranaceae epidemiam in urbe Aurelianensi observavit, egregiamque ejus historiam conscripsit ¹¹⁾. Inter primos certe et in Italia fortasse solus, uti Burserius dicit ¹²⁾, hujusce exitiosissimi morbi, epidemice in urbe Cremonae grassati, accuratissimus observator Martinus Ghisius historiam edidit ¹³⁾. Haec anginae species, quae annis 1747 et 48 epidemica apud Cremonenses exstitit, secuta est anginam gangraenosam; quam ob rem Ghisius anginae *primum* genus anni 1747 et *alterum* epidemicae anginae genus anni 1747 et 48 accurate luculenterque distinguit. Contemplantibus nobis istam morbi nostri propagationem mirum profecto videbitur, quod illum annum 1746 in Anglia, anno 1747 in Gallia, et 1747 et 48 in Italia apud Cremonenses invenimus. Num iisdem annis anginae gangraenosae epidemiae ex Italia usque ad insulam Britannicam migraverint, contendere non ausim, quamvis verosimillimum mihi videtur. —

1) Vid. supra §. 6 et 7.

2) *Starr* in: Philosoph. Transact. Nr. 495. — Apud Rosenstein p. 620, — Hamburger Magazin Tom. 12. S. 5. No. 1. p. 467 — 82. — *Leske* Auszüge aus d. Philosoph. Transact. Tom. 3. p. 26.

- 3) *Home* l. 1. pag. 46.: It appears more nearly allied to the malignant sore-throat.
- 4) *Michaelis* pag. 147 — 160.
- 5) *Sachse* pag. 240.
- 6) *Michaelis* pag. 159. Fateor insignem esse hujus casus cum vera angina membranacea similitudinem. Attamen non levia sunt etiam argumenta, quae illam ad gangraenosam potius referre suadeant.
- 7) *Sachse* pag. 201.: *Michaelis* hat hierüber sehr scharfsinnige Beobachtungen angestellt, nur der *Starr'schen* 3ten Krankheitsgeschichte scheint er einen unrichten Platz angewiesen zu haben. Sie gehört aus folgenden Gründen *mehr* zur häutigen als brandigen Bräune etc.
- 8) *Maerker* in *Hufeland's Journal*. 19. Bd. 3. St. p. 78. Cf. *Sachse* pag. 201. et *Bayley* Cas. of the angina trachealis. Newyork 1781. In: *Sammlungen auserlesener Abhandlungen für pract. Aerzte*. 7. Bd. pag. 223.
- 9) Vid. Act. Soc. Scient. Parisiens. an. 1751.
- 10) *Michaelis* pag. 170.
- 11) *Histoire de l'acad. royale des Sc.* an. 1748. à Paris 1752. p. 523 — 25. relat. in *Commentar. Lipsiens.* Vol. II. p. 618. „Mense Aprili, ait, angina horrendo modo saeviit, aegrosque inter quatuor et viginti horarum spatium e medio sustulit. In binis eo morbo demortuis infantibus incisis, interior asperae arteriae tunica ad trium quatuorve digitorum longitudinem, cylindri in formam a reliquis separata, alba, et, uti charta pergamena, crassa inveniebatur etc. — Mirum videtur, quod summus

ille Morgagni l. c. Lib. V. Epist. LXIII, 17. pag. 330. anginam hanc, a solerte medico Aurelianensi descriptam et duabus dissectionibus illustratam, prorsus cum illa confundat, quae violentissima olim in regno Neapolitano et Siculo pueros perdebant. — (Prima erat angina membranacea altera gangraenosa). Morbum nostrum apud Cremonenses eodem fere tempore obvium omnino non commemorat Morgagni.

12) *Burserius* de Kanilfeld, Vol. III. pag. 331. 350. 353 et 54.

13) *Martini Ghisii* Lett. med. 2 sopra le Angin. epid. degli anni 1747 e 1748. Cremon. 1749.

§. 17.

Ex eo inde tempore semper frequentius angina membranacea tam epidemice quam sporadice et sparsim observandam et describendam se prae-buit. Inter multa, quae nunc in lucem prodire, scripta pauca liceat mihi denominare eaque maxime praecipua, quae imprimis a medicis Anglicis Suecisque publici juris sunt facta. Anno 1764 Upsaliae scriptum est editum academicum¹⁾, in quo unum alterumve anginae nostrae exemplum enarratur, simul autem cum gangraenosa saepissime confunditur²⁾. Eodem etiam tempore a Bergen morbum nostrum descripsit epidemicum, qui Francofurti ad Moenum grassatus fuerat³⁾. Anno proximo eximium illud saepiusque jam a nobis laudatum Homii scriptum in lucem prodiit, ex quo praecipue colligitur, anginam membrana-

ceam jam dudum Scotiae maritimis in oris familiarem et fere endemium fuisse. Tunc etiam medici Sueci in relationibus, quibus singulis annis summum regni senatum de rebus totius populi medicis certiores reddebant, hujus morbi mentionem facere coeperunt, ita ut ab hoc inde tempore plures de angina nostra observationes in illis occurrant annalibus⁴⁾. Anno 1770 Rush anginam membranaceam eundem cum asthmate convulsivo morbum esse comprobare studuit⁵⁾, literasque medici Haygarth brevissime de morbo nostro disserentis communicavit. Insequenti anno Cravford librum suum⁶⁾, attamen erroribus non inanem, in publicum edidit. Tunc etiam prodiiit nova egregii libri Rosenii ab Rosenstein de infantum morbis editio⁷⁾, quae praeter Homii observata continet tria morbi nostri exempla, a Schultzio relata, et nonnullas e dissertatione Wilckii excerptas observationes, magna ex parte vero ad anginam gangraenosam potius quam ad nostram referendas. In Suecia Daniaque Baeck et Salomon⁸⁾ nec minus Callisen⁹⁾ de morbo nostro optime meruerunt. In Anglia Buchan¹⁰⁾ morbum nostrum brevissime descripsit. Inter Franco-Gallos Vieusseux¹¹⁾, Portal¹²⁾, Mahon¹³⁾ non multum, quod memoratu sit dignum, nobiscum communicarunt. In patria nostra Zobel¹⁴⁾ atque Lentin¹⁵⁾, illud Germaniae medicorum decus, eximiusque morborum et interpretes et moderatores, egregie de morbo nostro disputabant. Sed, ut omittam omnes reliquos nec magna laude dignos

liceat mihi finem imponere huic disquisitioni cum immortalis illo popularis nostri de angina polyposa opere. *Michaelis* omnium princeps historiam anginae membranaceae toto numero absolutam conscripsit, naturam hujus morbi accuratissime indagatam rite constituit, certis limitibus ab aliis adfinibus morbis disjunxit, tandemque curationem e causa morbi ipsius proxima depromptam proposuit atque instituit; ita ut aliarum gentium scriptores eximiis laudibus hunc librum efferant ¹⁶⁾, omniaque a posteris, quantumvis egregia, in lucem edita vix ac ne vix quidem palmam illi eripere videantur.

1) De angina infantum in patria recentioribus annis observata. Diss. inaug. praes. Sam. *Aurivillio* respond. *Wilcke*. Upsal, 1764.

2) *Michaelis* pag. 161. sqq. *Sachse* pag. 243.

3) A. *Bergen* de morbo truculento infantum hoc anno hic Francofurti grassante. Nov. Act. N. Cur. 1761. Tom. II. pag. 157. apud *Michael*. p. 295.

4) Vid. *Beraettelser till Ricksens Staender* an 1765 sqq.

5) *Rush* Dissertation on the spasmodic Asthma. Lond. 1770.

6) *Crawford* D. de ang. strid. Edinburg 1771.

7) *Rosen von Rosenstein* Anweisung zur Kenntniss und Cur der Kinderkrankheiten. aus d. Schwedischen von J. A. Murray. 3te Ausgabe. Goettingen 1774. pag. 595.: (Von einer Bräune mit widernatürlicher Haut in der Luftröhre).

- 8) *Baech et Salomon* in Act. societ. scient. Suecic. 1772. ap. Michael. p. 279.
- 9) *Callisen* Act. soc. med. Havn. Vol. I. p. 76—83.
- 10) Domestic. Medicine or a Treatise on the prevention and cure of diseases by W. Buchan. Lond. 1776.
- 11) *Vieusséux* in Recueil des Observations et de Faits relatifs au Croup à Paris 1808. — Journal de med. par Corvisart. T. 12. p. 422. — Sammlung auserlesener Abhandlungen. 24. Bd. p. 153—79.
- 12) *Portal* in: Mem. de l'Acad. des sciences. 1780.
- 13) *Mahon* Hist. de la Soc. Roy. de med. 1777 — 78. pag. 206.
- 14) *Zobel* ap. Michael. pag. 258. describit anginam membranaceam, quae anno 1775 in civitate ac agro Wertheimensi grassata multas sobole privavit familias.
- 15) *Lentin* Beobachtungen epidem. Krankheiten. pag. 268. — Beiträge zur practischen Arzneiwissenschaft. Edit. sec. Tom. I. pag. 337 et 341. Tom. III. pag. 185. Tom. IV. pag. 53. — Hufelands Journal T. 2. pag. 167. et T. 9. S. 3.
- 16) Vid. *Burserium* de Kanilfeld. Vol. III. pag. 350.; Sequar autem Cl. Christ. Frider. Michaelium, qui hujusce morbi historiam *prae omnibus aliis* conscripsit, et opportunissimis animadversionibus illustravit.

§. 18.

Cum ad ipsum dissertationis hujus finem jam delapsi simus, perpaucae tantum res in medium adhuc proferemus, quae originem et antiquitatem anginae membranaceae illustrare valent. Omnium populorum Scoti, Angli, Suecique soli peculiari- bus jamque ex antiquissimis temporibus apud plebem usitatis nominibus morbum nostrum insigniverunt: in orientali Scotiae ora *the Croup*, in occidentali *Chock* vel *Stuffing* (a verbo *to Stuff* et *to chock*, strangulare, suffocare); in nonnullis Angliae locis voce familiari *the Rising of the Lights* (ascensus pulmonum); in Pensilvania *the Hives*, *the Bowel Hives*, (quod nos dicimus: das Hühnerweh); in Nova Anglia *the Bladder in the Throat* (bulla in gutture); inter Suecos *Strypsiucka* (i. e. malum strangulatorium). Vernaculam linguam seriore demum tempore Murray hujus morbi nomine — *die häutige Bräune* — locupletavit. Galli, Italique, omnesque, qui terras incolunt meridionales, sicuti antiquitatis totius populi peculiari hujus morbi vocabulo carent carueruntque. Si quis illud: *vox populi, vox dei*, rite aestima- verit; non alienum illi a vero videbitur, anginam membranaceam morbum septentrioni proprium et quasi indigenum esse, in terris vero meridionalibus novum et adventitium, antiquis omnino ignotum nec obvium fuisse. — Postquam aevo recentiore populi septentrionales altiore ingenii morumque

cultu excelluerunt, simulque, majore orbis terrarum parte in potestatem suam redacta, instituta, cognitiones, mores, vitamque degendi rationem latius propagarunt; dum populi meridionales, tyrannide occupati religionisque suae tenebris abrutī, in otio inertissimo languebant: morbi septentrioni proprii, ideoque etiam noster, magis magisque in remotas quoque dissipati terras innotuerunt, imperioque quasi suo ubivis regere coeperunt. — Ex aliarum causarum syndrome angina gangraenosa in alias plane partes abiret necesse erat. Illa in Aegypto Syriaque oriunda (§. 6.) antiquitus jam peculiariter denominata, hodie adhuc apud Italos, Hispanos aliosque nominibus a plebe usurpatis abundat. (Ἀγνῦπτια καὶ συριακὰ ἔλκεα, — παιδαρχόνη λοιμώδης; — ἄφθαι; (non sunt aphthae hodie sic nominatae vid. §. 6.); pestilens faucium affectus; — crustosa malignaque faucium ulcera; — Garratillo Hispanorum etc.). Terras olim solummodo meridionales, hodieque septentrionalibus longe frequentius infestavit infestatque; una cum populis, ditioni suae septentrionem subjicientibus, latius vagata, atque contagio peculiari, permultis meridiei morbis insito, propagata, in terris quoque desaevit septentrionalibus. Inde a fine proximi saeculi hista angina multo rarius obviam facta, nunc terras nostras, in quibus olim non raro tanta vi epidemice grassabatur, vix ac ne vix quidem sparsim infestat. — Quodsi igitur morborum historias ne-

que a singulorum populorum neque a totius gentis humanae rebus fatisque disjunctas consideramus, si intimum illorum connexum cum diversis terrarum aërisque conditionibus rite accurateque perpendimus; tum profecto aegritudinum singulorum primordia, incrementa, vigorem, decrements, immo nonnunquam senectutem interitumque luculentius cognoscemus, nec mirabimur, quid sit, quod aliis temporibus alii morbi increcant vigeantque. —

VITAE MEMORIA.

Ego, ERNESTUS JOANNES FRIDERICUS FISCHER, religioni Christianae secundum Lutheri formulas addictus, die mensis Octobris decimo anni p. Chr. nat. quinti supra millesimum octingentesimum natus sum in pago, quem urbi Rostochio vicinum incolunt Lambrechtshagienses. Patre, Ernesto Gustavo, verbi divini magistro, adhuc superstitite gaudeo; matrem vero, Annam Theresiam, e gente Schomann, mors mihi infanti eripuit praematura. Usque ad annum aetatis decimum sextum in domo paterna literarum elementis imbutus sum. Inde ab anno MDCCCXXII gymnasii, quod Rostochii floret, classem primam per annorum duorum dimidiique spatium frequen-

tavi. Testimonio maturitatis, ut vocant, impetrato, a Magn. Wiggers, t. t. fasces universitatis literariae Rostochiensis tenente, in numerum civium academicorum receptus, hisce interfui lectionibus: Ill. Beck de logice et mathesi, Cel. Kastner de metaphysice, Ill. Floerke de geographia physicali, de physica experimentalis et de botanica universa, Cel. Quittenbaum de osteologia et syndesmologia. — Physiologiam et pathologiam generalem Ill. Spitta, vir omni numero absolutus, docto concinnoque modo mihi tradidit. Ill. Stempel de selectis ophthalmologiae capitibus scite disserentem audivi. Non possum, quin palam utrique huic praeceptori pro singulari humanitate gratias persolvam maximas; erant enim isti viri, qui ad artis salutaris amorem excitabant juvenis animum. —

Vere anni MDCCCXXVI Berolinum profectus, Rectore magnifico Ill. Boeckh et Decano ordinis medicorum spectabili Ill. Link, medicinae studiosorum numero adscriptus sum. Per hoc quadriennium docuerunt me in universitate FridERICA Guilelma chemiam experimentalem Ill. Mit-

cherlich, partes physices nonnullas Ill. Er-
mann, zoologiam Ill. Lichtenstein, plantarum
medicinalium doctrinam Ill. Hayne. Adfui etiam
praeclaris istis scholis de geographia physicali, quas
dabebat Alexander de Humboldt. Anatomiam
corporis humani sani atque aegroti, nec minus re-
ptuorum animalium, comparatam vulgo dictam,
physiologiam universam entozoorumque historiam
Ill. Rudolphi mihi tradidit; qui vir dignissimus
etque humanissimus una cum Ill. Knape artem
cadavera rite incidendi demonstravit. Frequentavi
etiam lectiones de anatomia repetitorias Cel.
Schlemm. De pharmacologia Ill. Link; de
materia medica Ill. Osann; de pathologia gene-
rali Cel. Eck; de therapia generali Ill. Bartels;
de pathologia speciali Ill. Hecker et Ill. Horn;
nec non eundem virum usu experientiaque doctum
de therapia speciali, de vesaniis et morbis syphi-
liticis; de chirurgia Ill. Rust; de oculorum mor-
bis Cel. Jüngken; de akiurgia Ill. de Graefe;
de arte obstetricia Cel. Ed. de Siebold et Ill.
Cluge scholas habentes audivi. Ad praxin me-
dicam exercendam ab Ill. Bartels et Ill.

Wolff, ad praxin chirurgicam ab Ill. Rust, Ill.
de Graefe et Ill. Wagner, ad praxin obstetri-
ciam ab Ill. Busch institutus sum.

Jam vero tentamine medico atque examine
rigoroso coram gratioso medicorum ordine abso-
lutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque de-
fensis summi in medicina et chirurgia honores in
me rite conferantur. —

Theses defendendae.

- I. Arteriae propria insitaeque vi subsiliunt.*
 - II. Omnem calorem animale gignit respiratio.*
 - III. Deformitates, quae in recens natis ab impedita evolutione derivantur, cum formis quibusdam animalium classibus legitimis comparari nequeunt.*
 - IV. Morbi maligni plane sunt denegandi.*
 - V. Typhus contagiosus est encephalitis.*
 - VI. Asthma Millari non discrepat ab angina membranacea.*
 - VII. „Pseudoerysipelas” est nomen perperam inditum morbo cuidam excogitato.*
 - VIII. Punctio corneae est operatio chirurgica plane rejicienda.*
-

Theses defendendae.

- I. Arteriae propriae functiones et substantia.
- II. Omnem calorem animalium eigne respiratio.
- III. Deformitates, quae in recens natis ad im-
pedita evolutione derivantur, cum formis
quibusdam animalium classibus legitimis
comparari possunt.
- IV. Morbi maligni plane sunt denegandi.
- V. Typhus contagiosus est encephalitis.
- VI. Aethina Hillii non electa ad angu-
membranas.
- VII. "Pseudocorymbes" est nomen proprium in-
dignum morbo oculi exegit.
- VIII. Punctio corneae est operatio chirurgica
plane rejicienda.





DI/TURN
SOME TIGHT
GUTTERS